COMMENTARIUS CANTABRIGIENSIS IN EPISTOLAS PAULI E SCHOLA PETRI ABAELARDI IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS

PUBLICATIONS IN MEDIAEVAL STUDIES
THE UNIVERSITY OF NOTRE DAME
EDITOR: PHILIP S. MOORE, C.S.C.
ASSOCIATE EDITOR: JOSEPH N. GARVIN, C.S.C.

II

COMMENTARIUS CANTABRIGIENSIS IN EPISTOLAS PAULI E SCHOLA PETRI ABAELARDI IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS

BY
ARTUR LANDGRAF

NOTRE DAME, INDIANA
1945

Nihil Obstat:

Eugenius P. Burke, C.S.C., Ph.D.
Censor Deputatus

Nostrae Dominae die XVII Septembris, 1945

Imprimatur:

✠ Johannes Franciscus Noll, D.D.
Episcopus Wayne Castrensis

Wayne Castris die XVII Septembris, 1945

Imprimi potest:

Thomas A. Steiner, C.S.C.
Provincialis Congregationis a Sancta Cruce

Nostrae Dominae die XVII Septembris, 1945

[In epistolam ad Hebraeos.]

|| "Multifarie"[a] etc. A novissimis apostolus pervenit ad primos persolvendo denarium sibi comissum a Domino iuxta regulam illam Domini: Et erunt primi novissimi et novissimi primi.[958] Post epistolas enim ęcclesiis gentium, que novissime converse sunt, destinatas hanc scribit epistolam novissimam[b] ecclesie Jerosolimitane, ubi erant primi fideles a Christo etiam preceptore nostro conversi et propria illius predicatione instructi, veluti apostoli, qui de iudeis erant, et ceteri quoque quamplures[c] de iudaismo conversi ad fidem, per quos postmodum conversi sunt gentiles. Asina enim ad vitem alligata est, pullus vero ad palmites. Unde Jacob: Ligans asinam ad vitem, fili mi, et pullum ad veniam suam,[959] id est ad palmites. Asina autem ista Judeam designat, que est alligata ad vitem, id est ad Christum. Unde ipse ait: Ego sum vitis, vos estis palmites.[960] Palmites autem sunt apostoli, qui a vera vite procreati sunt et in fide geniti, qui in vite manentes, a qua tamquam a fundamento procedunt, vigorem habent et fructum faciunt.[d] Et quemadmodum palmites sine vite manere non possunt nec vigere, vitis vero sine palmitibus potest, ita fideles sine Christo fundamento nequeunt consistere. Christus vero, qui est vera vitis, etsi palmites rescidantur, permanet. Iudea itaque ad Christum alligata est, quia ipsa inprimis eius predicatione conversa est. Unde ipsa veritas: Non sum missus nisi ad oves, que perierant Israel,[961] id est a Patre missus non sum, ut aliis in persona mea predicem, nisi iudeis, quibus et specialiter in lege permissus sum. Pullus vero asine, qui ad palmites alligatus est, ęcclesiam gentium significat, quas fideles iudei 161v

[a] Multifarie] ultifarie [b] novissimam] *inter lineas* [c] quamplures] *inter lineas* [d] faciunt] *inter lineas*

[958] Matth. 19,30; 20,16; Marc. 10,31; Luc. 13,30. [959] Gen.49,11
[960] Joh. 15,5 [961] Matth. 15,24

primi predicatione dominica conversi genuerunt in fide. Et ideo ad palmites pullus dicitur alligatus esse, quoniam apostolica predicatione converse sunt gentes. Iudeis enim apostolos a Judea, ne vel verbum Domini[a] predicarent, expellentibus, transiit eorum predicatio ad gentes et primum ad Grecos. Et hoc magna Dei dispensatione, ut videlicet per conversionem Grecorum, ex quibus erant philosophi, qui et apud homines magisterium habebant in litteris, ceteri quasi eorum discipuli, qui ab illis doctrinam acceperant, facilius venirent ad fidem. Acsi ita dicerent: Postquam magistri nostri adeo in rationibus periti, adeo in argumentis astuti[b] conversi sunt, quid aliud faceremus, nisi ut, quemadmodum eos preceptores habemus in secularibus, ita quoque eosdem habeamus doctores in divinis. Et ita conversis philosophis Romani postmodum conversi sunt et nos, qui sub Romano eramus imperio. Conversis itaque primum iudeis per predicationem Domini, deinde Grecorum philosophis predicatione apostolorum,[c] tandem Romanis, apostolus in scribendo eis preposterum servavit ordinem. Et causa fuit, quare ita fecerit. Ut enim ex testimonio etiam Domini habemus, iste specialiter propter gentes electus est. Unde Dominus: Ut portet nomen meum coram regibus et gentibus.[962] Idem quoque ipse testatus est supra, cum ait: Qui enim operatus est Petro in circumcisione, operatus est et michi inter gentes.[963] Petri namque predicatio circa iudeos maxime versabatur, antequam a Iudea ex toto apostoli essent expulsi. Quia ergo apostolus specialiter gentium apostolus et magister fuit, gentibus imprimis suas direxit epistolas tamquam illis, quibus specialiter preerat et cuius cura ad eos precipue spectabat. Et Grecis primum scripsit. Quamvis enim epistola ad Romanos in capite preordinata sit, non tamen primum scripta fuit, sed propter dignitatem Romane ecclesie, que futura erat mater omnium ecclesiarum et propter privilegium Romani imperii, quod adhuc mundo dominabatur

[a] Domini] *inter lineas* [b] adeo in rationibus—astuti] *inter lineas*
[c] predicatione apostolorum] *inter lineas*

[962] Act. 9,15 [963] Gal. 2,8

universo, a sanctis patribus preposita est tamquam ea, que dominis mundi est destinata. Cetere vero, que primum scripte sunt, sive illa ad Corinthios sive cetere ad Grecos directe sunt. Deinde post epistolas ęcclesiis gentium destinatas, quas tamquam ex debito scripsit ad instructionem gentilium, de quibus debuit esse sollicitior tamquam de propria parochia sibi a Deo commissa, in novissimo quasi ex superhabundanti illis primis fidelibus[a] de iudaismo conversis, Jerosolimitane videlicet ęcclesie, cui beatus praeerat Jacobus frater Domini, scribere voluit, ut suum ministerium semper honorificaret. Unde ipse in epistola ad Romanos: Quamdiu quidem ego sum apostolus gentium, ministerium meum honorificabo, si quomodo ad emulandum provocem carnem meam et salvos faciam aliquos ex Israel.[b] [964] Ille autem suum honorat officium, qui expleto debito aliquid superaddit, cui nec sufficit, quod iniunctum est, nisi semper aliquid superapposuerit. De quo Dominus: Cum feceritis, que precepta sunt vobis, dicite, quia adhuc servi inutiles sumus. Quod enim debuimus facere,[965] illud fecimus. Acsi diceret: Pro nichilo reputetis, cum illud, quod vobis iniunctum est, expleveritis, nisi semper debito aliquid superaddideritis, cum videlicet pro superaddito maiores videantur deberi grates quam pro toto eo, quod ex debito feceritis. Veluti cum dominus alicuius servo suo preceperit aliquid facere. Siquidem servus quicquam superaddiderit, gratius est Domino quam illud totum, quod ex precepto factum est. Expleto itaque apostolus, quod sibi iniunctum erat et quod ex precepto habebat facere, volens suum honorare ministerium, illis fidelibus hanc scripsit epistolam et novissimam, sicut et novissime collocata est. Et quare illud egerit, sine causa non[c] || fuit imo ideo, ne videlicet populus ille iudaicus, qui 164r
semper elatus fuit, de quo etiam sepe Moyses conqueritur, contumesceret et superbior fieret, si vel eis primum scripse-

[a] fidelibus] *inter lineas* [b] meam—Israel] *in margine* [c] non] *Folium 162r et 162v sequentia continent partem epistolae ad Philemonem; fol. 163r et 163v omnino sunt vacua.*

[964] Rom. 11,13 sq. [965] Luc. 17,10

rit epistolam vel scripta ante alias ordinata fuerit. Iste enim populus ad fidem etiam conversus,[a] ut in epistola ad Romanos dictum est, semper in ęcclesia Dei contentiosus fuit dicens se maioris dignitatis esse in domo Domini quam gentes, quibus improperabat dicens: Vos, qui ex hesterno populus Dei fuistis, non debetis pares esse nobis, quos ab initio novit Dominus, quorum Pater Abraham fuit et ceteri patriarche et ex quibus sunt prophete et quibus tot beneficia impertivit Dominus et de quibus ipse in novissimo natus est et similia, que in epistola ad Romanos dicta sunt. Et ideo apostolus, ne quam superbie occasionem daret populo elationis, huic populo novissime scripsit ad humiiltatis custodiam. Qua etiam de causa provide a Deo factum est, ut civitas illorum numquam cresceret nec Jerosolimitana principatum in christianismo haberet ęcclesia, quamvis et ipsa prima fuerit et in eo loco posita, ubi Deus prius precipue colebatur, ubi et proprium habebat templum et cultus proprios. Sed ecclesiasticas dignitates in gentibus posuit et secundum privilegia gentium, ut primum erant, ita et gradus sue ęcclesie ordinavit et illam civitatem, que metropolis erat in gentibus et aliis per dominum preerat, in ordinatione sue ęcclesie prefecit etiam universis. Ut enim Nicena sinodus[966] astruit, quod alicuius dignitatis fuit illa prima ęcclesia, fuit quidem propter Jacobum fratrem Domini, qui ibi primus episcopus in christianismo constitutus est et ibi tandem mortuus a pinno templi precipitatus. Quod vero modo tanti nominis est,[b] nuper contigit propter frequentiam populi, qui propter Deum illa loca peregre proficiscitur, et ita ad honorem sepulcri Domini, quod ibi est, Romana ęcclesia illi loco patriarchatum concessit.

Nunc, que sit huius epistole intentio, videamus. Cuius summa hec est, illos videlicet primos christianos in fide confirmare et maxime ex legis testimoniis. Et quia a contribulibus suis multa passi sunt, in tribulationibus suis eos conso-

---

[a] conversus] *inter lineas* [b] est] *inter lineas*

---

[966] Cf. cn. 6,7. Hefele, *Conciliengeschichte* I^2, 388s

lari sicut in fine huius epistole facit. Illi enim iudei infideles plurimum illos infestabant et sicuti in eos, quos presentes habebant, novos cotidie assultus faciebant, et testimonia legis, in qua illi periti erant, ad confutationem eorum crebre inducebant. Multo enim maiori odio iudei suos conversos habebant quam gentes suos. Quippe quia iudei se magistros faciebant, cum aliqui a doctrina eorum recederent, tanto amplius indignabantur et ideo suos conversos maiori infestatione persecuti sunt. Quibus omnem etiam substantiam abstulerant, ut nec haberent, unde viverent. Unde in superioribus epistolis sepe lectum est de collectis, quas apostolus faciebat apud illas ęcclesias, quibus predicabat, ad sustentationem eorum, quemadmodum et ceteri apostoli in suis predicationibus. Est igitur intentio huius epistole illos primos fideles in fide Christi corroborare et precipue, ut diximus, per legis testimonia, quibus et alii eos infestabant, ut et illi sciant infestantes refellere et testimonia legis ad fidei sue confirmationem inclinare. Item et eos in pressuris suis confortare.[a]

Hanc autem epistolam quidam non esse Pauli astruebant, imo Luce sive Clementis,[b] eo quod non ex suo nomine eam distinguit nec apostolatum suum presignat sicuti in ceteris epistolis. Quod quidem ab apostolo provide dispensatum est. Eorum enim, quibus scribit, apostolus specialiter non erat. Unde, si nomen suum preponeret, illi fortasse dicerent: Quid ad nos de apostolatu illius, qui ad nos missus non est. Item, supra omnes apostolos[c] illum precipue habebant odio non solum iudei infideles, sed et conversi, qui volebant observantias legis cum ewangelio teneri, quas apostolus ex toto interdixit, qui et Petro in facie, ut dictum est[d] in epistola ad Galatas,[967] restitit, quia reprehensibilis fuit, cum quo et Barnabas in eandem fuit simulationem inductus. Hac itaque de causa nomen suum premittere noluit, ut potius

---

[a] Item—confortare] *inter lineas et in margine* [b] imo—Clementis] *inter lineas* [c] apostolos] *in margine* [d] est] *inter lineas*

---

[967] Gal. 2,11

ex manifesta veritate et utilitate[a] quam ex sua auctoritate placeret epistola et ita nichil esset rancoris,[b] cuiusque esset, quia fas est et ab hoste doceri.[968] Alii quoque alia etiam de causa Pauli non esse dicebant, quibus visum est curialiorem fuisse stilum in suprapositis epistolis quam in ista.

Eos autem, qui astruunt Pauli non esse, quia nomine illius intitulata non est, beatus bene refellit Jeronimus,[969] qui dicit eadem ratione nullius esse, quia nullius nomine prescripta est. Contra alios etiam idem Jeronimus[970] loquitur in libro de illustribus viris, qui dicit, quod stilus huius epistole multo est elegantior stilo ceterarum epistolarum, quippe et Hebreis et hebraice eam scripsit, que lingua notior ei fuit. Ceteras vero epistolas in illa lingua scripsit vel greca vel alia, cuius illi erant, quibus scribebat.

Hec tamen epistola, cum ebraice scripta esset, non fuit ita translata sicut cetere. Lucas enim ewangelista post mortem apostoli ipsam de ebraico transtulit non ad modum fidi interpretis tam verbum verbo exprimens quam sententias ponens.

Cum itaque bipertita sit intentio et in confirmatione videlicet fidei per legis testimonia, per que maxime impugnabantur, et in consolatione eorum in pressuris, quas vehementes sustinebant, inchoat a fundamento huius fidei, id est a Christo, qui fundamentum est omnium bonorum, de quo apostolus: Fundamentum, inquit, aliud nemo potest ponere preter id, quod positum est, qui est Christus Jhesus.[971] Qui cum duas habeat naturas, secundum utramque eum commendat docens, quod secundum humanitatem habeat, quod offerat, secundum divinitatem vero, quod possit, quia et verus homo et verus Deus est non solum redemptor, sed et salvator noster.

---

[a] et utilitate] *inter lineas* [b] et ita—rancoris] *inter lineas*

---

[968] Ovidius, *Metamorph.* lib. 4,428. [969] Pelagius, *Prologus in omnes epistolas* (H. Zimmer, *Pelagius in Irland.* Berlin (1901) 27) [970] Hieronymus, *De viris illustribus* c. 5 (PL 23,650). [971] 1 Cor. 3,11

[Cap. 1]

Et in prima parte huius epistole ad obedientiam huius nostri legislatoris nos excitat, cuius contemptus tanto maior est, quanto ipse ceteris legislatoribus est excellentior, et tanto maior pena, tanto maior incurritur dampnatio, si illum, qui tantus est, contempnimus. Si enim Deus per prophetas, si etiam per angelos nos instruxerit, quasi per servos locutus est. Tandem vero per istum preceptorem optimum nos instruens locutus est nobis per filium sibi consubsantialem et per omnia equalem, in quem tanto negligentia gravior, quanto ipse ceteris omnibus longe differentior.

A cuius commendatione inchoat dicens: "Deus loquens olim", id est in populo Israelitico, "in prophetis", id est per prophetas. Tale est illud: In baculo, id est per baculum, transivi Jordanem.[972] Item in apostolo: Manifestum est in illis.[973] "Patribus", a quibus videlicet nos per carnem descendimus. Vel patribus, id est genitoribus in fide, veluti iudeis per predicationem[a] Domini postmodum conversis, qui sunt, ut supra meminimus, tamquam asina ad vitem alligata, quorum eruditione postea et verbis ceteri Deo in fide generati sunt. Et hoc "multiphariam", quantum ad signa visibilia, quia sepe illum antiquum populum instruxit Deus[b] per visiones visibiles, que eis apparebant, sicuti in Ezechiele legitur de animalibus, que vidit rotus secum trahentia, rotam etiam in rota perspiciens.[974] Quales etiam visiones, quas apocalipsis commemorat, beato Johanni ostense sunt. Qualis quoque fuit illa, que angelica administratione Moysi in rubo apparuit.[975] In his enim divinis aministrationibus non credimus nisi angelos fuisse locutos, qui ad hoc a Deo missi sunt.

---

[a] predicationem] *om. syllaba* pre   [b] Deus] *inter lineas*

---

[972] Gen. 32,10   [973] Rom. 1,19   [974] Ezech. 1,15 sqq.   [975] Exod. 3,2 sqq.

Sed queritur, quomodo angelus dixerit: Ego sum Deus Abraham, Deus Ysaac, Deus Jacob,[976] cum videlicet in rei veritate Deus non fuerit?

Id quidem ita exponitur, acsi dicatur: Deus in persona mea hoc dicit. Tale enim est illud prophete: Hoc dicit Dominus,[977] cum tamen id nusquam dicat Dominus, quasi ita diceret: Hoc dicit vobis in mea persona.

Sed obicitur, quomodo Jacob angelum Dominum vocaverit post illam apparitionem divinitus factam ad consolationem illius de timore illo maximo, quem de fratre habebat, siquidem angelus apparuerit, non Dominus, qui ait: Vidi Dominum et salvata est anima mea.[978]

Ad quod philosophus: Dominum, inquit, angelum appellat, quia ad hoc missus est ei, ut ad nutum illius faceret ille, quod illi diceret. Veluti et regem et comitem dominum voco, quia utrique habeo obedire. Ita et ille, quamvis supra angelum dominum haberet,[a] angelum tamen potuit dominum appellare. Nec mirum, cum etiam, ut beatus dicit Gregorius,[979] ante passionem Domini permitterent se ab hominibus adorari angeli, quod post passionem omnino refutaverunt. Unde ab uno illorum Johanni eum volenti adorare dictum est: Vide, ne feceris, quia ego conservus tuus sum[b] et fratrum tuorum.[980]

Item, cum angeli sint spiritalis nature nec verba formare possint, queritur, quomodo homini loquantur.

Dicit philosophus, quod assumptis corporibus loquendo nos instruunt, que expleto statim deponunt officio.

"Multisque modis", id est verbis. Et hoc quandoque verbis historicis, ut: Ecce virgo concipiet et pariet filium;[981] quandoque vero parabolicis ut in prophetis.[c]

---

a haberet] *inter lineas* b sum] *inter lineas* c Multisque—prophetis] *in margine*

---

976 Exod. 3,6 977 Is. 7,7 sqq. 978 Gen. 32,30 979 Gregorius, *XL homiliarum in evangelia lib.* 1 hom. 8 n. 2 (PL 76,1104 sq.). Cf. *etiam* Gregor., *Moralium lib.* 27 c. 15 n. 29 (PL 76,415) 980 Apoc. 19,10 981 Is. 7,14

"Locutus est nobis in Filio", id est instruxit nos per Filium, et hoc "novissime", id est in fine mundi, quia nos sumus, ut apostolus dicit, in quos fines seculorum devenerunt.[982] Sed finis iste non tantum secundum seriem temporis attendendus est, quantum secundum || completionem et consumationem 164v
omnium bonorum, quecumque de nostra reparatione fuerint prenuntiata. Quecumque enim de salute hominis fuerunt a Deo[a] promissa, iam completa sunt et consummata et re ipsa nobis exhibita. Unde et doctrina Christi ewangelium dicitur, id est bona annuntiatio, quia, quod prophete predicaverunt complendum, doctrina Christi predicat completum. Unde et Johannes plus quam propheta[983] dicitur, quia non solum futura predicebat, sed etiam digito, quod alii non fecerunt, ostendebat.

"Istis diebus". Dies appellat tempus gratie, tempus videlicet nostre inluminationis, quia omne tempus, quod precessit, quasi nox dicendum est ad comparationem sexte ętatis, que per verbum incarnatum illuminata est, quia nostro legislatore adveniente ablatum est velamen, quod erat in facie Moysi.[984] Que enim in lege velata erant, in hoc tempore revelata sunt. Quod ideo dies recte[b] appellatur tum propter priora tempora tum propter legis etiam imperfectionem, que, ut apostolus dicit, nichil ad perfectum perduxit,[985] cui, quod deerat, doctrina Christi perfecta et predicatio superaddidit.

"Quem constituit". Et quia multi sunt filii, quam differentior sit et excellentior filius iste ceteris, ostendit, quia videlicet Patri consubstantialis est, ceteri vero, etsi sint filii Dei per amorem, non sunt quidem filii per substantiam, qui etiam in comparatione huius nulli sunt, per quem et illi habent filios esse, quia quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri,[986] non servos. Non enim, ut dicit apostolus, accepistis spiritum servitutis iterum in

---

[a] a Deo] *inter lineas* [b] recte] *in margine*

---

[982] 1 Cor. 10,11 [983] Matth. 11,9 [984] Exod. 34,33 [985] Hebr. 7,19
[986] Joh. 1,12

timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba, pater,[987] ut simus, ut idem dicit apostolus, unus spiritus cum Deo.[988] Ad excellentiam ergo huius filii ceteris longe diferentioris exprimendam duo ponit, quorum primum ad humanitatem applicat, alterum ad divinitatem accommodat. Sed cum apostolus de eodem loquens Dei[a] filio ita variare videatur, primum se ingerit questio, quomodo filium acceperit, cum ait: Locutus est in Filio. Si enim per filium Christum ibi intelligamus, non videtur stare, cum videlicet persona illa, quam Christus notat, unita ex divina natura et humana nequaquam sit filius Dei consubstantialis, de quo iam dicet: Per quem fecit et secula.

Philosophus: Cum, inquit, dicat: In filio, tale est, acsi dicatur: In Christo, id est per Christum, qui in rei[b] veritate filius Dei consubstantialis. Sed[181*] in talibus, cum ad Christum, qui ex duabus naturis consistit, fiat relatio, modo fit ad ipsum propter hanc naturam, modo ad eumdem propter illam. Veluti si dicam: Christus, qui est filius virginis, est filius Dei consubstantialis, vel econverso: Christus, qui est filius Dei consubstantialis, est filius virginis. Ad hunc enim modum dicitur, quia homo iste, qui hic iacet, fuit multum sapiens, id est anima illius hominis, cuius corpus hic est in tumulo, magnam habuit discretionem. Item Petrus, qui in paradiso erit, hic iacebit.

Nunc littere insistamus. "Quem", scilicet[c] Filium Dei, "constituit heredem universorum", id est, cui Deus, homini, dico, Verbo unito in personam unam perhenniter concessit omnia videlicet fieri et disponi ad nutum illius et ad voluntatem, ut, quicquid ipse vellet fieri de dispositione omnium rerum, statim Deus exequeretur, quasi ita diceret ei Deus: Obsecra, quicquid vis et ego exequar. Unde psalmista: Postula a me

---

[a] loquens Dei] *inter lineas* [b] rei] *inter lineas* [c] scilicet] *inter lineas*

---

[987] Rom. 8,15 [988] 1 Cor. 6,17

[181*] Cf. Abaelard., *Theologia lib.* 3 c. 6 (PL 178,1106C sq.); *Sent. Herm.*, c. 24 (PL 178,1733C sq.)

et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terre,[989] id est impetra et ego statim, quicquid impetrabis, ad arbitrium tuum exequar, quia, ut dicit apostolus, pro reverentia sua in omnibus etiam exauditus est.[990]
Sed obicitur, quod, cum postulaverit dicens: Pater, transeat a me calix iste,[182*] [991] non obtinuit, quod oravit.

Ad quod philosophus: Non, inquit, impetravit, quod transiret. Sed dixit: Si possibile est, id est, si conveniens est, transeat a me calix iste. Quod quidem conveniens non[a] fuit. Nec tamen de isto aliqua est obiectio, sicut nec de aliquo illorum, que ad personam ipsius spectant. Cum enim Deus omnium rerum[b] dispositionem in sua posuerit potestate, ut omnia, sicut ipse vellet, fierent, in illa dispositione ipse continetur. Veluti cum dicimus: A Deo omnia creata sunt, ipse Deus non cadit in talibus.

At vero, cum dicitur Deus velle fieri, quicquid homo ille fieri velit, non videtur quibusdam aliud esse nisi Deum velle, quod ipse vult, cum videlicet homo ille nichil voluerit nisi quod Deus disponi velit.

Philosophus: Ex toto, inquit, falsum est. Longe enim aliud est dicere Deum velle, quicquid homo ille voluerit, et ipsum velle, quicquid ipse vult, si eiusdem etiam semper essent voluntatis. Veluti si aliquis ita michi esset in voluntate adiunctus, ut ego vellem, quicquid vellet et ipse. Longe tamen aliud esset dicere me velle, quicquid ille vult, et me velle, quicquid ego volo. Cum enim dicerem: Ego volo, quicquid ille vult, quendam amorem et affectum maximum me erga illum habere significarem. Quod non facerem dicens me velle, quicquid ego volo.
Item obicitur, quod sancti eandem habent dignitatem, cum videlicet Deus velit fieri et presto sit exequi, quicquid illi voluerint.

---

[a] non] *inter lineas* [b] rerum] *inter lineas*

---

[989] Psalm. 2,8 [990] Hebr. 5,7 [991] Matth. 26,39

[182*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom. lib.* 2 c. 5 (PL 178,865C), *Theologia lib.* 3 c. 5 (PL 178,1097B sqq.); *Sent. Rol.*, 182.

Philosophus: Sancti, inquit, etsi post mortem hoc habeant, ante mortem quidem non habent. Paulus enim, qui petivit, ut stimulus ille discederet,[992] quod postulavit, non est assecutus. Homo vero ille Verbo in unam unitus personam, ex quo fuit, hoc a Deo habuit privilegium, ut videlicet, quicquid ille[a] vellet disponi, et ipse disponeret. Angeli quidem, de quibus obici posset, nec id habuerunt, ex quo creati sunt. Quod ex eo manifestum est, quod quidam postmodum volentes fieri, quod non debuerunt, lapsi sunt.

"Per quem". Filium Dei commendatum secundum humanitatem commendat secundum divinitatem. Et hoc est "per quem", scilicet Filium, "fecit et secula", id est creavit, cui etiam sunt commissa, quia in sapientia omnia fecisti, Domine. "Qui cum sit". Secundum utramque naturam Filio Dei commendato ostendit, quid in utraque operatus est, et primum, quid nobis in illa Dominus profuit, per quam nos illuminavit. Deinde quid humanitas, secundum quam sacerdotium habet, faciens peccatorum purgationem. Sacerdotis enim est pro plebe subiecta ad Deum intervenire. Et hoc est "qui", scilicet Filius,[b] "cum sit splendor glorie". Loquitur ad modum solis et radii, per quem sol ad nos venit et nos illuminat. Ita et a Patre illuminati sumus per Filium, qui est splendor glorie, id est splendor gloriosus. Sunt autem multi splendores, qui gloriosi non sunt, sicuti nostre sapientie, rationes scientie nostre, que gloriose non sunt, quia aliunde sunt et, quod habent, ex se non est, que a summa sapientia nobis imperite sunt, quia de plenitudine eius omnes accepimus.[993] Ad differentiam ergo aliorum splendorum dicitur splendor gloriosus, id est gloriosa sapientia, quam nichil latere potest, nos adventu suo illuminans, de qua dicitur: Erat lux vera, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.[994] Quemadmodum enim in theo-

[a] ille] *inter lineas* [b] scilicet Filius] *inter lineas*

[992] 2 Cor. 12,7-9 [993] Joh. 1,16 [994] Joh. 1,9

logia habetur philosophi:[183*] cum eadem substantia sit et Patris et Filii et Spiritus Sancti, sola tamen sapientia divina dicitur esse incarnata, quod non est aliud nisi Deum ad hoc assumpsisse hominem, ut nos doceret et, qui tamquam ceci eramus, tam verbis quam exemplis illuminaret.

"Et figura". Omnis figura est similitudo, sed non omnis similitudo figura. Et non est aliqua creatura, que similitudinem quamcumque cum creatore suo non habeat. Corpus enim, etsi esse incepit, non deficit, in quo cum Deo convenit. Anima quoque rationalis est quemadmodum Deus. Et ita, cum tam corporea substantia quam incorporea aliquam cum Deo habeat similitudinem, ideo sepe per aves sive etiam per inanimata se significari voluit. Unde dicitur: Petra erat Christus.[995] Petra enim firme nature, que ideo in fundamento ponitur. Ita Deus in se firmus est nec deficere potest, a quo omnia sustentantur. In creaturis tamen, etsi similitudo aliqua reperiatur, numquam figura illius repperitur. Est enim figura similitudo illa, que rem representat secundum corporis lineamenta, quia videlicet et tale caput habet, tales oculos, talem nasum, toracem talem et talia omnia. Dicitur ergo Filius figura Patris, id est expressa eius similitudo, quia ei equalis est per omnia. Quippe eternus est sicuti ille et immensus sicuti ille. Eodem quoque modo in ceteris equalitatem habet. Unde ipsa veritas: Qui videt, inquit, me, Philippe, videt et Patrem,[996] id est in me potest cognosci Pater. Qui enim cognoscit meam substantiam, cognoscit et Patris, quia eiusdem sumus substantie; qui

---

[995] 1 Cor. 10,4 [996] Joh. 14,9

[183*] Cf. Abaelard., *Theologia christiana lib.* 4 (PL 178,1278C): "Tale est ergo Sapientiam ei incarnatam esse, acsi dicatur ad hoc Deum incarnatum esse, ut vere doctrina iustitiae nos instrueret, tum praedicatione, tum etiam exemplo corporalis conversationis suae."—Textus invenitur etiam in *Theologia 'Summi boni'*. Cf. H. Ostlender, *Peter Abaelardi Theologia 'Summi Boni'. Beiträge zur Geschichte der Philosophi und Theologi des Mittelalters.* Band XXV, Heft 2/3. Münster i. W. (1939) 84.

vero meam immensitatem, et Patris; qui eternitatem meam, et illius.
"Substantie eius". Lucas, qui transtulit epistolam illam, grecus fuit. Et, ut beatus dicit Augustinus,[997] ubi nos dicimus tres personas et unam substantiam, Greci dicunt tres sustantias sive tres subsistentias et unam essentiam, idem intelligentes per tres subtantias,[a] quod non per tres personas. Et ideo hic habetur substantia in designatione persone, quod ad utrumque eorum, que premissa sunt, potest referri, quia Filius Dei et splendor Patris est[b] et figura.

"Portansque", id est sustentans omnia, quia nisi etiam Deus sustentaret creata, quemadmodum ex nichilo condita sunt, ita et ad nichilum redirent. Et hoc "verbo virtutis sue", id est per Verbum in ipso homini unitum in personam unam, per quod habet virtutem omnem et omnem fortitudinem.
"Purgationem peccatorum faciens". Ostenso, quid operatus sit in natura divina, ostendit operationem illius in humana. Et hoc est "faciens peccatorum purgationem", id est remissionem, per illam videlicet hostiam Deo in cruce imolatam, quam et ipse obtulit. Idem enim fuit hostia et sacerdos, idem oblatio et oblator. Hanc autem purgationem dupliciter fecit: penam omnem removendo et amorem infundendo. Ita enim pena omnis remota est, ut post mortem, quicumque digni sunt, statim sine omni dilatione transferantur in regnum, quod nec prophetis nec patriarchis datum est. Quod enim nec in morte Abrahe nec in morte Moysi potuit dicere, Dominus in cruce positus hostiam solvens dixit latroni
165r morienti, quia hodie mecum || eris in paradiso.[998] Item, amorem nobis infudit et infusum dilatavit illa nobis dilectione exhibita, quam moriendo exhibuit, qua nemo maiorem habet.[999] Que nos in summum amorem eius accendens ex toto aufert peccata, quia caritas operit multitudinem peccatorum.[184*]

[a] per tres substantias] *inter lineas* [b] est] *inter lineas*

[997] Augustinus, *De Trinitate lib.* 7 c. 4 n. 7 (PL 42,939) [998] Luc. 23,43 [999] Cf. Joh. 15,13

[184*] Cf. notam 178*

"Sedet ad dexteram maiestatis". Alii leguntur assistere sicuti etiam angeli, de quibus dicitur, ut quibus tibi aministrantibus in celis semper assistitur. Fideles quoque in die iudicii in dextera etiam positi assistent Domino tamquam adhuc iudicandi et de se in causa illa rationem reddituri. Filius vero Dei aliis assistentibus iam sedit tamquam iudex et Dominus omnium, cui Pater dedit omne iudicium,[1000] in dextera illius collocatus tamquam ille, qui pre ceteris longe diligitur. Homines enim etiam illos, quos plus diligunt et magis volunt honorare, ad dextris suis statuunt. De apostolis tamen legitur, quod et sedebunt in die illa, de quibus ipsa veritas ait: Sedebitis et vos iudicantes.[1001] Qui, etsi sedeant et in dextera, non tamen in excelsis, quemadmodum iste, qui in excelsis a Deo constitutus est, id est super omnes celsos, super omnem celsitudinem, super omnem eminentiam illius vite. Et cum modo sedeat in dextris Patris ab omni afflictione alienus, ante mortem tamen[a] in sinistra fuit miseriis omnibus expositus, sicut ipse testatur dicens: Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti.[1002] Ego autem sum vermis et non homo, oprobrium hominum et abiectio plebis.[1003] Item,[b] post miraculum illud, quod fecerat, cum de paucis panibus tot milia hominum paverit, quidam hoc videns, qui piger erat laborare nolens dicebat apud se: Si cum isto essem, satis haberem, quid comederem, et statim se comitatui eius adiunxit. Cuius Dominus, qui cordium perspector est, intentionem perspiciens ait: Quia ego hanc humanitatem illis exhibui, hanc quidem misericordiam, putasne, quod ego et discipuli mei cotidie simus super ollas carnium? Ista quidem, frater, quibus inhias, alias queras, quia Pater meus in talibus omnibus aliis magis providet quam michi. Unde supposuit: vulpes foveas habent et volucres nidos,[c] filius vero hominis[d] non habet, ubi capud suum reclinet.[1004] Acsi diceret: Pater meus de irrationabilibus etiam maiorem

---

[a] tamen] *inter lineas* [b] dicens—Item] *inter lineas et in margine* [c] nidos] *inter lineas* [d] hominis] *inter lineas*

[1000] Cf. Joh. 5,22 [1001] Matth. 19,28 [1002] Matth. 27,46; Marc. 15, 34 [1003] Psalm. 21,7 [1004] Matth. 8,20; Luc. 9,58

quam de me in istis curam habet. Illa enim mansiunculas quascumque habent. Ego quidem, ubi etiam caput meum reclinare possim, non habeo. Et hoc est "sedet ad maiestatis", id est requiescit tamquam iudex omnium, cuius sedere est in vita illa eminenti, que per dexteram accipitur, quam divina maiestas suis dabit fidelibus. Et quia alii etiam sedent, subnectit "in excelsis", id est super omnem celsitudinem constitutus.

"Tanto". Acsi diceret: Ille, dico, "tanto melior angelis effectus", id est factus a Deo videlicet Patre, "quanto differentius" etc., id est quanto excellentius nomen, quod videlicet Filius Dei consubstantialis appellatur "hereditavit", id est in perpetuum habet, "pre illis", id est ante illos, qui nec sunt nec vocantur.

"Cui enim". Dixit, quod nomen differentius hereditavit, quia videlicet nomen longe excellentius nominibus omnium fidelium assecutus est. Quod ostendit inducens testimonium David.[1005]

Continuatio: Vere pre illis differentius, quia "cui angelorum dixit" Dominus per aliquem, sicut per prophetam predixit huic: "filius meus es tu". Et quia plures sunt filii, ipse vero solus consubstantialis est, supponitur: "ego hodie genui te", id est eternaliter de mea substantia genitus es. Per hodie, quod presentis temporis designativum est, eternitatem generationis significat, ubi nichil preteritum, nichil futurum est. Item *genui* dixit et non *gigno*, ut perfectio generationis notaretur per verbum preteriti temporis. Verbum enim presens, ut beatus dicit Gregorius,[1006] imperfectionem notat. Beatus tamen Ambrosius[1007] dicit, quod Pater cotidie gignit Filium. Quod, ut salva sit auctoritas, ita intellige, quod videlicet Filius cotidie de substantia Patris est. Et cum hoc loco hodie pro eternaliter accipiatur, non tamen dicetur, quod eternaliter genui te. Sepe enim voces, que sunt eiusdem significationis, diversam habent iuncturam, ut homo

[1005] Psalm. 2,7 [1006] *Moralium lib.* 29 c. 1 (PL 76,477); Non autem possumus dicere semper nascitur, ne imperfectus videatur. [1007] Cf. Ambrosius, *Expositio in Psalmum 118* sermo 19 n. 17 (PL 15,1550)

albus et homo, qui est albus. Verum enim est dicere de Socrate, quod fuit vel erit homo albus, non tamen verum est, quod fuit vel erit homo, qui est albus.

"Et rursum". Aliud inducit testimonium, quod de secundo libro Regum[1008] sumptum est, ubi Dominus loquitur ad David, qui, cum de bellis finitis habuerit pacem volens edificare templum Domino et cultum Domini magnificare et psalmos, quos fecerat in templo ponere ad cultum Dei amplificandum, Nathan prophetam super hoc consuluit, quorum uterque tunc spiritum prophetie non habebat. Et tamquam cecus cecum ducens[1009] dixit illi, ut[a] inciperet. Sequenti autem nocte prophete illi apparuit Dominus dicens: Vade et dic David, quia tu non edificabis michi templum,[1010] sed, qui de tuis renibus eggredietur filius, qui edificabit sibi templum in nomine meo.[1011] Qui, si inique gesserit, corripiam eum in plaga virorum et in virga filiorum hominum, et misericordiam meam non auferam ab eo sicut a Saul.[b] [1012] Et erit michi fidelis et tronus eius in ęternum manebit[1013] et ego ero illi in patrem et ipse erit michi[c] in filium.[1014] Ecce, istud testimonium hoc loco ab apostolo inductum, cum satis consonet ad id, propter quod[d] inductum est per se consideratum, si circumstantias antecedentis littere et susequentis, unde sumptum est,[e] diligenter attendamus, parum videtur attinere, imo potius ex toto dissonum esse ab eo, propter quod inducitur. Sepe enim tanquam ex abrupto induci ita solent testimonia vel a prophetis vel aliunde sumpta,[f] ut cum in eo loco, ad quem sumpta sunt, rei, que tunc dicitur multum sit consona, respicientes ad illum locum, a quo sumuntur, ea omnino secundum litteram precedentem et subsequentem absona esse censeamus, veluti illud, ut in epistola meminimus ad Romanos, quod ibi multum arrupte inducitur ab apostolo de Moyse, cum ait: Ne dixeris in corde tuo: quis

[a] ut] *add.* ut [b] et misericordiam—Saul] *inter lineas* [c] michi] *inter lineas* [d] quod] *inter lineas* [e] unde sumptum est] *inter lineas* [f] vel—sumpta] *inter lineas*

[1008] 2 Reg. 7,14 [1009] Cf. Luc. 6,39 [1010] 2 Reg. 7,5 [1011] 2 Reg. 7, 12 sq. [1012] 2 Reg. 7,14 sq. [1013] 2 Reg. 7,16 [1014] 2 Reg. 7,14

ascendit in celum, id est Christum deducere, aut quis descendit in abissum, hoc est Christum ex mortuis revocare.[1015] Item et hoc testimonium : Ecce virgo concipiet et pariet filium,[1016] cum per se consideremus, satis fidei nostre sonat. Consideratis vero circumstantiis scripture, unde affertur, plurimum dissonat nec quicquam pertinere videtur. Ita est et de isto testimonio et maxime propter hoc, quod dicitur: Qui si inique gesserit, corripiam eum in plaga virorum,[1017] quod nullo modo convenire Christo potest, qui nec inique agere potuit, nec item Salomoni possunt singula aptari, immo fere nulla. Quod enim inprimis dictum est David: Cum completi fuerint dies tui et positus eris ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te,[1018] Salomoni[a] non competit qui etiam vivente David accepto diademate factus est rex.

Item, quod sequitur: et edificabit sibi templum in nomine meo,[1019] non videtur illi convenire. Quippe non dicitur rex sibi construere domum, si quam fecerit ad opus pauperum. Veluti si princeps aliquis aliquibus monachis dormitorium vel ęcclesiam faceret, non diceretur sibi domum vel templum edificare. Illud vero, quod subiungitur: Qui si inique gesserit, corrigam eum in virga virorum,[1020] partim ei convenit, partim non. Cum enim in rei veritate inique egerit, a Domino postmodum non legitur correctus esse. Quod tamen posteris suis convenire manifestum est, quos Deus correxit in ruina populi et strage plurima, quia, quicquid delirant reges, plectuntur achivi.[1021] Item, misericordiam meam non auferam ab eo, sicut a Saul,[1022] ad Salomonem spectat istud, cui videlicet hanc exhibuit misericordiam Dominus, quod diadema in Israel suis concessit posteris, quod et ex toto Saul, qui fuit primus rex in Israel, abstulit et semini eius.

Item, quod dicitur: Et ipse fidelis erit michi et tronus eius manebit in ęternum,[1023] et ipse erit michi in filium et ego

[a] Salomoni] *syllaba* lo *inter lineas*

[1015] Rom. 10,6 sq. [1016] Is. 7,14; Matth. 1,23; Luc. 1,31 [1017] 2 Reg. 7,14 [1018] 2 Reg. 7,12 [1019] 2 Reg. 7,13 [1020] 2 Reg. 7,14 [1021] Horatius, *Epistolae* I 2,14 [1022] 2 Reg. 7,15 [1023] 2 Reg. 7,16

illi in patrem,[a] [1024] de Salomone omnino falsum est, cum ad nostrum iterum tantum spectet pacificum, id est ad Christum. Nemo enim nequius fecit nec plus Deum offendit quam Salomon, qui primus regum Israelitarum factus est idolatra et populum Dei subvertit. Contra quem surrexit Jeroboam servus eius et omnes tribus ab illa detraxit insania preter tribum Iuda, que sola Salomonem secuta est. Undecim enim secute sunt Jeroboam. Et quia eorum, que dicta sunt, quedam ad Christum proprie spectant, quedam ad Salomonem possunt applicari, quedam ad nutum, ea quidem ita exponere difficile est, ut et veritas historice teneatur et allegoria servetur. Illa itaque exponentes, que Christum decent, ad Christum applicamus. Que vero non decent, ad alterum semen acommodamus, ut ita secundum veritatem historie, quam teneri necesse est, totum hoc in semine David compleatur, et, quod uni semini non convenit, conveniat et alteri. Utrumque enim semen illius est, et quod in uno deperiit, voluit Dominus in altero restaurari. Quod ergo dictum est David: Cum completi fuerint dies tui et positus eris ad patres tuos, sucitabo semen tuum post te[1025] et erit fidele[1026] et ipse erit michi in filium et ego ero illi in patrem,[1027] Christo totum hoc convenit, qui est semen illius longo tempore post suscitatum, cui Dominus proprius pater est et ipse proprius filius ei, videlicet consubstantialis, qui in terra est sine patre, in celo vero sine matre.

Item, quod subnectitur: et edificabit sibi templum in nomine meo,[1028] de eodem ita exponitur, acsi dicatur: Edificabit sibi templum id est in virgine uniet sibi hominem in personam unam, qui erit quasi templum illius. De quo templo ipsa veritas ait: Destruite templum hoc et ego in triduo reedificabo illud.[1029] Et hoc totum in nomine meo, quia, ut ipse testatur Filius, non veni gloriam meam querere, sed eius, qui misit me, Patris.[b] [1030]

Quod vero subiungit: qui, si inique gesserit,[1031] ad alterum

---

[a] patrem] parem [b] Et hoc—Patris] *inter lineas et in margine*

[1024] 2 Reg. 7,14 [1025] 2 Reg. 7,12 [1026] 2 Reg. 7,16 [1027] 2 Reg. 7,14 [1028] 2 Reg. 7,13 [1029] Joh. 2,12 [1030] Joh. 5,30; 8,50 [1031] 2 Reg. 7,14

semen sicuti ad Salomonem pertinet. At vero hec relatio simpliciter ad semen intelligenda est, ut videlicet semen non attendatur numero idem, sed idem proprietate. Acsi dicatur ita: Et semen tuum edificabit templum in nomine meo,[1032] et semen tuum, si inique gesserit, corripiam illud in plaga virorum,[1033] non dico, per semetipsum, sed per alios ipsum corrigam. Tale est illud, quod dicitur: Mulier, que dampnavit, salvavit.[a] Hic enim relatio simplex ad mulierem facta est non eandem numero, sed proprietate, ut, si ita dicatur: Mulier dampnavit et mulier salvavit. Non enim eadem mulier fuit, que hoc fecerit et illud. In demonstrationibus autem idem evenit, ut demonstratio non[b] ad rem numero eandem, sed proprietate fiat quasi ad naturam. Veluti ibi:
165v qui super te pedibus ambulavit, qui te in || Cana Galileę in vinum convertit et qui in te baptizatus est. Ad hanc enim aque essentiam in his omnibus, que presens est, non fit demonstratio, sed ad naturam aque. Quippe hanc aque essentiam nequaquam in vinum convertit, nequaquam super eam pedibus ambulavit, nequaquam in ea baptizatus est. Relationes tamen quandoque neque ad rem eandem proprietate neque eandem numero fiunt, sed tantum ad vocem. Veluti, ut beatus dicit Jeronimus:[1034] Eo digito scribebat in terra, quo scripte sunt tabule testamenti. Hic autem tantum est relatio vocis. Digito enim corporali scribebat in terra, quo tabule scripte non sunt, sed Spiritu Sancto, qui digitus Dei appellatur. Et tale est, acsi dicatur: Digito scribebat in terra et digito scripsit in tabulis. Idem quoque in quadam habetur antiphona veluti: manus mee, que vos fecerunt, clavis confixe sunt. Hoc est: manus meę fecerunt vos et manus mee confixe sunt clavis.

Ad hunc itaque modum, ut diximus, intelligendum est: qui, si inique gesserit,[1035] ut simpliciter relationem faciamus ad

---

[a] salvavit] *inter lineas* [b] non] *inter lineas*

[1032] 2 Reg. 7,13 [1033] 2 Reg. 7,14 [1034] *Locus non inventus.* Cf. tamen Augustin., *Quaestiones in Heptateuchum lib.* 2 c. 70 (PL 34,620). [1035] 2 Reg. 7,14

filium David, acsi dicatur: Et filius tuus edificabit et filius tuus, si inique gesserit, corripiam illum. Et fortasse, ut arbitror, hec de commendatione seminis Dominus ideo per prophetam illi revelavit, ne, quia eum ab edificatione templi revocatum multum contristaverat, in desperationem veniret, sed potius audita tam mirabili sui seminis commendatione, que statim subiuncta est, consolationem susciperet. Et hoc est "Ego ero illi", id est Christo, "in patrem", scilicet proprium, quia est de mea substantia, "et ipse erit michi in filium", scilicet proprium, quia alium filium consubstantialem non habebo nec ipse alium patrem, de cuius videlicet substantia sit.

"Et cum iterum introducit". In commendatione Filii adhuc immoratur et ex testimonio etiam Patris aliam ponit commendationem. Hoc autem testimonium ex psalterio sumptum est, ubi dicitur: Adorate eum omnes angeli eius.[1036] Quod, ut hoc loco apostolus asserit, Pater dicit de Filio. Sed tamen in eisdem verbis non hic inducitur, etsi eandem sententiam servet apostolus. Et hoc est "et iterum, cum" videlicet Pater "introducit" etc., id est mittit in partes istas inferiores Filium suum incarnari, quem primogenitum appellat, quia ante omnia genitus est sicuti ille, qui de Patris substantia est. Et attende, quod ista missio sive descensus localis non intelligitur, sed est humilitatis condescensus, cum videlicet nostram naturam adeo abiectam in comparatione divinitatis univerit sibi in personam unam. Cum ita, inquam, introducit, de illo "dicit" Pater: "Et adorent", etc., acsi diceret: Non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum hominem assumptum, secundum quem missus est, angeli omnes tam maiores quam minores venerando recognoscant eum longe excellentiorem supra omnem naturam angelicam.

Et nota, quod adorari pluribus modis dicitur. Habet enim generalem quandam significationem in hominibus, quando videlicet pro venerari accipitur. Veluti cum aliquem veneramur et ei supplicamus recognoscendo nos illo inferiores

[1036] Psalm. 96,7

esse. Unde dictum est, quod Abraham, cum petivit sepulturam uxoris sue defuncte, populum illius terre adoravit,[1037] id est veneratus est illi supplicando et in illa supplicatione se inferiorem esse recognoscendo. Et iterum: Et ingressus Nathan propheta salutavit regem.[a] [1038] Item, specialem significationem habet in Deo acceptum quidem pro venerari ipsum et propter se, quem omnium, quecumque facimus, debemus finem statuere. Si enim ad aliquam potestatem inclinamus illi supplicando, illi honorem exhibendo scientes, quia omnis potestas ad Deo est,[b] et ut dicit apostolus, qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit,[1039] propter Deum debemus id facere, qui eam constituit et eam nobis preesse ordinavit, ut, quamcumque potestatem veneramus, propter constituentem personam veneremur constitutam, quia Deum tuum adorabis et illi soli servies,[1040] id est propter ipsum solum servitus impendenda est. Si enim hominem adhoramus, si homini servimus, propter Deum id finaliter faciamus,[185*] quia, quod uni ex minimis meis fecistis, michi fecistis,[1041] id est propter me fecistis.[c] Veluti si legatus alicuius bene suscipitur ab alioquo nec[d] ille, qui suscipit, propter illum, quem suscipit, eum ita suscipit, sed propter dominum illius,[e] nec ille etiam, qui suscipitur, sibi imputat, sed domino suo,[f] quod ita suscipitur. Ita etiam et crucem Domini adoramus, id est lignum veneramur illud propter Dominum, qui propter nos in eo pependit. Et ita omnium, quecumque facimus, finis constituendus est Deus. Si enim aliter agimus, bestialiter facimus et irrationabiliter omnino operamur, nisi videlicet Deum in omnibus finem constituamus, propter quem etiam uxor ducenda est, non propter aurum,

---

[a] Et iterum—regem] *in margine* [b] est] *inter lineas* [c] quia, quod—me fecistis] *inter lineas et in margine* [d] nec] *in margine* [e] illius] *in margine* [f] suo] *inter lineas*

[1037] Gen. 23,7 [1038] 3 Reg. 1,23 [1039] Rom. 13,2 [1040] Matth. 4,10; Luc. 4,8; Deut. 6,13; 10,20. [1041] Matth. 25,40

[185*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Theologia lib.* 1 c. 1 (PL 178,983C sq.); *Sent. Herm.*, c. 1 (PL 178,1695B sq.); *Sent. Rol.*, 318

non propter argentum, non propter vineas, sed, ut per incontinentiam creatorem nostrum non[a] offendamus, quia, ut dixit apostolus, sive bibamus sive comedamus sive aliud faciamus, omnia in nomine Domini fiant.[1042]

"Et ad angelos". Et quod illi eum adorare debeant, per aliud monstrat testimonium, quia videlicet sunt ministri eius ad ea facienda, que ipse iubet. Et hoc est "et ad angelos" etc., id est tale quid dicit, quod ad angelos pertinet, non quod ad illos sermonem dirigat. Et hoc est "qui", videlicet Filius, "facit", id est constituit, "spiritus angelos suos", id est nuntios suos, ad ea videlicet, que precipit peragenda. Et est spiritus, ut beatus dicit Gregorius,[1043] nomen substantie, angelus vero officii nomen, nec sunt quidem angeli nisi quando mittuntur, et nomina ista officii ante confirmationem non habuerunt nec etiam cherubin et seraphin. Hec videlicet nomina data sunt eis, nisi postquam confirmati sunt, secundum quod his plus quam illis de Deo revelatum est, et sunt omnia ista nomina ex accidente.[b]

"Et ministros suos flammam ignis", id est illis angelicis spiritibus, quos dirigit, quo vult, ministrare dona etiam sua impertit, unde possint corda eorum, ad quos mittuntur, accendere in desiderium, ut velint ea complere, que ipsi illis precipiunt.

"Ad Filium autem". Aliud testimonium[1044] inducit maximum et validum ad iudeorum confutationem, si ita habetur in ebraico sicut nos habemus.

Continuatio: Hoc dicit ad angelos pertinens, sed istud quidem "ad Filium", dirigens etiam ad ipsum sermonem. Et hoc est "tronus tuus" etc. Superius dixit, quia sedet in dextera Dei super omnes celsos in illa vita eminenti. Cuius sedes quod sit perpetua, hic plane monstratur. Quia "tronus tuus", O tu Deus Fili, id est sedes tua, ubi regnas tamquam omnium iudex, "in seculum seculi", id est in per-

[a] non] *inter lineas* [b] et sunt—accidente] *inter lineas*

[1042] 1 Cor. 10,31 [1043] Gregorius, *XL homiliarum in evangelia lib.* 2 hom. 34 n. 8 (PL 76,1250) [1044] Psalm. 44,7

petuum durat. De quo et alibi psalmista: Si David mentiar, semen eius in eternum manebit.[1045] Hec autem defectio in ebraico sermone est maxima plenitudo sententie. Veluti alias: Si introibunt in requiem meam.[1046] Acsi dicatur: Non ulterius credar, nisi hoc fit, quod videlicet semen eius in eternum manebit, id est in perpetuum durabit. De quo subnectitur: Et trohnus eius sicut sol in conspectu meo et sicut luna etc.,[1047] id est quemadmodum sol non deficit, ita et sedes eius non deficiet.

"Virga directionis". Sicut nostrum legislatorem omnibus aliis pretulit, quia, ut Job dicit, non est similis ei in legislatoribus,[1048] ita et legem suam, disciplinam suam omnibus aliis legibus vel disciplinis prefert. Lex enim Moysi, que, ut in sequentibus dicit apostolus, ad perfectum nichil duxit[1049] ętica quoque philosophorum, qui multum scripserunt de moribus, ad comparationem ewangelice discipline nichil est, que non est dilectione proximi, id est amici contenta, sicuti lex fuit,[a] quia etiam inimicos diligere iubet. Unde veritas: Dictum est antiquis: Diliges amicum tuum et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico:[b] Diligite inimicos vestros.[1050] Si enim amicos vestros diligitis, quam mercedem habebitis?[1051] Moyses autem virgam, id est disciplinam habuit vetus testamentum, quod datum est servis ad cohercendum eos et corripiendum, ut populus ille dure cervicis,[1052] quod voluntate non faceret, timore penarum tamquam servus facere cogeretur. Virga vero Christi est ewangelica disciplina, quam dedit regno suo, id est ęcclesie sue, ubi reges sunt, ubi servitur ei non ex timore, sed ex amore, quod est regnare, quod est regem esse. Spiritum enim adoptionis, non spiritum servitutis iterum in timore, ut dicit apostolus, accepimus, in quo clamamus[1053] non: Domine, Domine, ut priores, qui ex timore obediebant, sed: Pater noster, qui es in celis,[1054] ut ex ipso etiam nomine potius ex amore quam timore ei obediendum esse intelligamus. Unde

[a] sicuti lex fuit] *inter lineas* [b] dico] *inter lineas*

[1045] Psalm. 88,36 [1046] Psalm. 94,11 [1047] Psalm. 88,38 [1048] Job 36,22 [1049] Hebr. 7,19 [1050] Matth. 5,43 sq. [1051] Matth. 5,46 [1052] Deut. 9,6,13; Act. 7,51 [1053] Rom. 8,15 [1054] Matth. 6,9

et abbas dicitur ille, qui super subiectos monachos prelationem habet, ut potius prodesse subiectis, quam preesse ex ipso attendat vocabulo. Et hoc est "virga regni tui", id est disciplina ewangelica, quam impertisti ęcclesie tue, ubi reges habes, non servos, est "virga", id est disciplna "directionis", id est perfecte iustitie, que omnem removet tortitudinem, quia, qui apud proximum, apud inimicum, apud Deum habet se eo modo, quo debet diligens proximum tamquam se, Deum vero supra se, non habet Deus, unde de eo conqueri possit.

"Dilexisti". Et quia multi legem imponunt, cuius nec minimum preceptum ipsi servare volunt, de quibus dicitur: Alligant onera gravia et importabilia ad humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere,[1055] id est nec minima servare volunt, que ipsi precipiunt aliis, ideo ad commendationem huius legislatoris, qui primum cepit facere, deinde docere, subnectit: "Dilexisti iustitiam", id est talis primum in te ipso fuisti, quales postmodum debere alios esse docuisti. Et hoc est "dilexisti iustitiam", id est, quod iustitie est, semper tibi placuit, quam in te prius exhibitam aliis postea predicasti. "Et odisti iniquitatem", id est, quod iniquitatis est, semper tibi displicuit. Non dicit: Odisti iniquos, sed iniquitatem, quia non homines, non substantiam, que bona est, quam ipse creavit, odio habet, sed vitium, sed peccatum, quod in ea est, omnino ei displicet. Nichil enim odisti eorum, que fecisti, Domine.[a] Unde, cum in bona natura malum sit, dicit beatus Augustinus[1056] pseudodialeticus, vir quidem christianissimus, in talibus dialecticorum fallere regulam, que negat in eodem esse contraria, cum videlicet bonum et malum, que contraria sunt, in eodem simul repperiantur. || 166r
"Propterea". Ecce, ut dixi, testimonia ista multum valent ad errorem iudeorum convincendum, quia, cum hic dicatur: Unxit te Deus, Deus, si ita habetur in hebreo, ad aliquem, qui sit Deus nuncupative, applicari non potest. Sunt enim multi dii per nuncupationem, quia ego dixi: Dii estis et

[a] Nichil—Domine] *in margine*

[1055] Matth. 23,4 [1056] Augustinus, *Enchiridion* c. 14 (PL 40,238).

filii excelsi omnes, sicuti vicarii Christi, qui in terra loco illius funguntur sive videlicet sacerdotes, quos sue prefecit ęcclesie, quibus spiritalem comisit gladium, sive etiam reges, quos suo populo voluit preesse cum gladio materiali. Christi enim sacerdotium regale est. De his igitur vicariis, qui sunt nuncupative dei, quod dic dicitur, dici non potest. De quo enim hoc loco dicitur, quia unxit te Deus, Deus tuus, de eo superius dictum est, quia tronus tuus Deus in seculum seculi. Quod ad vicarios spectare non potest, quorum regnum non permanet. Plures enim facti sacerdotes eo, quod prohiberentur morte permanere.[1057] Item ad Messiam suum, quem expectant, non poterunt hoc applicare, quia et ipse morietur et ita regni eius erit finis, qui, ut ipsi etiam astruunt, simpliciter erit homo. De quo dicitur in propheta: Et sicut ovis ad occisionem ducetur et sicut agnus coram tondente obmutescet.[1058] De nostro vero preceptore palam est, qui latine unctus dicitur, Christus autem grece, Messias vero hebraice.[a] Et hoc est "propterea".

Sed nota, quod istud *propterea* probativum est, acsi dicatur: Vere dilexisti iustitiam, vere perfecto odio habuisti iniquitatem, quia ita a Deo unctus es. Tale est illud: Clamavi, quoniam exaudisti me.[1059] Hic enim *quoniam* comprobativum est. Et hoc est "propterea", ut videlicet diligeres iustitiam, "unxit te Deus, Deus", id est, O Deus Fili, tuus Deus, Deus videlicet Pater, "unxit te".

Huius autem specialiter Deus dicitur, in cuius potestate omnia posuit, ut ad nutum illius, ut supra meminimus, disponantur omnia. Que enim mea sunt, tua sunt, et que tua sunt, mea sunt. De quo ipse ait: Hic est filius meus, in quo michi bene complacui.[1060] Acsi diceret: In veteri Adam non complacui michi; in isto quidem novo michi bene complaceo. Veluti est de pictore aliquo, qui, cum bonam picturam aliquam expresserit, ea quidem inspecta sibi etiam placet, eo quod tam convenienter eam fecerit.

---

[a] De nostro—hebraice] *inter lineas et in margine*

[1057] Hebr. 7,23 [1058] Is. 53,7 [1059] Psalm. 16,6 [1060] Matth. 17,5

"Oleo". Sicut vos scitis, in sanandis vulneribus[a] post ferrum, quod in secando, in urendo precedit, quedam adhibentur fomenta, que post putredines recisas sanent vulnera. Duos autem Deus medicos habuit, quorum unus, id est Moyses precessit cum ferro incidens ad putredines removendas, qui nulli sciebat parcere, sed omnes timore penarum cohercebat precipiens dentem dari pro dente, oculum pro oculo, animam pro anima, livorem etiam pro livore.[1061] Unde dictus est graves habere manus,[1062] quia parcere nesciebat. Quamdam autem in manibus habebat infirmitatem, que pre gravitate semper ad terram retorquebantur. Hec quidem gravitas manuum austeritatem figurabat preceptorum, que tamen non nisi terram promittebat, id est temporalia ista, non celestia. Alter vero medicus, id est Christus, post putredines remotas Moysen subsecutus est et fomenta adhibuit, cuius predicatio non sonabat nisi misericordiam et amorem, quia diffusa est gratia in labiis tuis,[1063] id est amor in predicatione tua dilatatus est et misericordia. Vere enim penitenti statim penam remittit. Unde in cruce positus latroni vere ingemiscenti non dixit: Punieris, quia peccasti, sed hodie mecum eris in paradiso.[1064] Item ad monumentum Lazari[b] veniens iussit lapidem removeri[c] dicens: Auferte lapidem.[1065] Quamdiu enim isto lapide premitur mortuus, non poterit resurgere, id est, quamdiu peccatori, qui iam in prava consuetudine peccandi defunctus est, predicarentur illa dura et austera legis precepta, numquam posset redire. Si enim diceretur huiusmodi homini: Tu, pessime, multis eruisti oculos, et tui eruantur; multis dentes fregisti, et tui frangantur; multis amputasti caput, et tuum amputetur; multos interfecisti, et tu interficiaris; hec audiens et similia quomodo ad hoc posset duci, ut ad Deum convertens hec onera importabilia sustineret? Si vero Christus, qui fomenta adhibet, remota illa legis austeritate dicat: Frater,

---

[a] in sanandis vulneribus] *inter lineas* [b] Lazari] Laxari [c] removeri] reveri

---

[1061] Exod. 21,23-25 [1062] Exod. 17,12 [1063] Psalm. 44,3 [1064] Luc. 23,43 [1065] Joh. 11,39

peccasti, amplius quiesce, statim corde compunctus ingemiscit et vere penitens factus ex toto Deum diligit. Unde ait Job: Domine, aufer virgam tuam a me, quia, quamdiu super me est, non possum[a] quicquam facere,[1066] hoc est illam legis duram et austeram disciplinam, que data est secundum duritiam cordis eorum, remove,[b] quia, quamdiu me premit dicens: Velis nolis, facies[c] nequeo tibi ex amore servire. Et hoc quidem attendens iste noster medicus non iubebat aliquem lapidari. Iste enim interfectiones legis in ewangelica disciplina non[d] continentur, quia tota eius predicatio misericordia plena est. Mulieri enim in adulterio deprehense non dixit: Lapidetur, sed: Mulier, nemo te condempnavit, nec ego te[e] contempnabo. Vade et noli amplius peccare.[1067] Christus itaque post Moysen, qui cum ferro precessit, venit[f] unguentis delibutus totus. De quo dicitur: Oleum effusum nomen tuum,[1068] id est, in predicatione tua non est nisi oleum, non est nisi unguentum. Per oleum autem sive unguentum dona spiritalia designantur, que nobis ex gratia confert, que et ipsi ex gratia collata sunt. Quicquid enim in illa unione verbi habuit, ex sola gratia accepit nullo precedente merito. Et hoc est: "unxit te oleo", id est dedit tibi plenitudinem omnium donorum spiritalium. Oleum autem exultationis appellat, quia propter istam unctionem hominis nostri, quem univit verbum sibi in personam unam, universo mundo exultandum est. Unde statim et angeli etiam in nativitate illius Deo leguntur laudes reddisse et pacem nobis anuntiasse dicentes: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bone voluntatis.[1069]
Et hoc "pre participibus tuis", id est ante participes tuos. Que enim alii per partem, qui tamen et eisdem donis participant, iste plene accepit. In illo enim est plenitudo et omnium donorum habundantia et tanquam[g] fluvius maximus, a quo eadem dona in parte quasi quidam rivuli usque

[a] possum] *inter lineas* [b] que data—remove] *in margine* [c] dicens—facies] *inter lineas* [d] non] *in margine* [e] te] *inter lineas* [f] venit] vent [g] tanquam] *in margine*

[1066] Cf. Job 9,34 sq. [1067] Joh. 8,10 [1068] Cant. 1,2 [1069] Luc. 2,14

ad nos venerunt, quia de plenitudine eius omnes accepimus.[1070]

"Et: Tu in principio". Commendata humanitate Christi in novissimo versiculo, ubi de unctione eius locutus est, quia videlicet unxit te Deus, Deus oleo exultationis pre participibus tuis, redit ad ipsum comendandum[a] ex divinitate. Idem enim, qui humanatus est, qui videlicet nostre humanitatis indumentum assumpsit, etsi ipsum assumptum non semper fuerit, ipse tamen assumens, ipse qui humanatus est, semper fuit, a quo omnia creata sunt. Et hoc testimonium competenter annectit apostolus superioribus de eodem propheta,[1071] etsi tamen in serie non sit illis continuum. Et hoc est: "Et: Tu", tu, qui videlicet humanatus es, "fundasti terram", id est creasti terram tamquam stabile elementum et non discurrens ad comparationem aliorum, que mobilia sunt. Et hoc "in principio", id est in illa dispositione tua, quam ab ęterno habuisti. Sicut enim primum disposuisti, ita postmodum opere complevisti. Omnia namque, que condita sunt, quodam modo quasi facta in dispositione[b] precesserunt suam creationem iuxta illud: Et fecit Dominus, que futura sunt.[1072]

"Et opera manuum". Acsi diceret: Et non solum terram creasti, sed etiam "celi", sive aerii sive etherii, "sunt opera manuum tuarum", id est dispositionum tuarum, quas semper habuisti sive de creatione illorum sive de collocatione. Et cum dicat: Manuum tuarum, et paulo ante: in principio, in eodem sensu. Ne mireris tamen de repetitione sententie in verbis diversis, quod ad curialitatem quandam in psalmista sepe reperitur, veluti: Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.[1073] Item, amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me.[1074]

---

[a] comendandum] comendamendum [b] dispositione] disposione

[1070] Joh. 1,16 [1071] Psalm. 101,26 [1072] Cf. Eccle. 1,9 [1073] Psalm. 50,3 [1074] Psalm. 50,4

"Ipsi peribunt". Celi, inquam, sunt opera manuum tuarum, sed tamen "ipsi", celi videlicet tam aerii quam etherei, "peribunt," id est hunc, quem habent, mutabunt statum et multo meliorem quam adhuc habeant vel habuerint, assument. Preterit enim, ut supra meminit apostolus, figura huius mundi.[1075] Substantia enim mundi non perit, sed qualitates iste, farine iste peribunt ex toto, quas mundus habet, quem Deus in novum statum reformabit. Unde propheta: Faciam novam terram et novum celum.[1076] Sicut enim de resurrectione nostrorum corporum solemus dicere, quod videlicet Deus ea resuscitabit in novum statum, quem primitus non habuerunt, ad maiorem sui glorificationem, ita etiam erit de mundo isto.

Sed beatus tamen Augustinus[1077] querit, ad quid necessaria sit corporum resurrectio, cum videlicet anime fideles visione Dei, ubi beatitudo consistit, tantum fruentur et non corpora, quia corporeis oculis non videbitur divinitas, sed ratione tantum. Quomodo enim angeli divinitatem intuebuntur, eo modo, id est ratione ipsam fideles conspicient, in cuius visione beati erunt. Et ideo potest esse aliquid questionis. Sed nos dicimus, quod ex illa corporum resuscitatione in meliori statu resuscitandorum et in maiori vigore constituendorum multo amplius glorificabitur Deus. Cum enim experiemur, quod de istis corporibus adeo infirmis, que, si musca vel polex insederet, infestare poterat, ledere poterat et morsu corrumpere, modo tam fortia, tam solida fecerit, quod nec balista nec alia machina destruere poterit, tanto amplius Deum glorificabimus et laudabimus, quanto plus eius cognoscemus potentiam, et tanto plus etiam eum diligemus experiendo, quod tam fragilia vasa tam dissolubilia ita iam solidaverit et omnino impassibilia resuscitaverit, quod amplius ex quocumque rei contactu nullatenus anima poterit suscipere lesionem. Ita etiam, ut gloria ipsius amplifice-
166v tur, || de istis erit elementis, quibus novas Deus dabit formas et in meliores status reparabit, cum modo sint infirma, que

[1075] 1 Cor. 7,31 [1076] Is. 65,17; 66,22 [1077] *De Genesi ad litteram lib.* 12 c. 35 n. 68 (PL 34,483).

et in hac infirmitate propter nos reservata sunt. Si enim terra ita solida esset sicut futura est, aratrum eam non scinderet, unde modo nostra sustentatur infirmitas. Et hoc est, ut paulo ante meminimus, quod dicit apostolus, quia figura huius mundi preterit,[1078] id est status iste, quem modo habet,[a] transibit, et novum multo excellentiorem accipiet. Mundus etiam, quemadmodum nos senio deficimus, ita et ipse, qui cotidie senescit et tandem ita per senium in se ipso deficiet, quod nullatenus durare poterit. Terra enim in novissimis diebus ita lassata erit, quod fructum non dabit. Unde dicitur, quod in diebus illis fames et magne erunt pestilentie.[1079] Et hodie quanto plus vivitur, tanto debiliores erunt homines et minus vivent. Maiorum enim virium erant illi quam nos et magis vixerunt quam nos vivemus. Quippe materia ipsa iam in se lassata est et debilior facta est et cotidie magis et magis deficit, ut quanto plus ad finem mundi acceditur, tanto simus debiliores et citius et plures moriamur. Ad comparationem enim unius miliarii, quod modo moritur, morientur in novissimis temporibus mille miliaria et uno momento.
At vero, cum, ut paulo ante dictum est, Deum corporeis oculis non videbimus sicut nec angeli, qui corporeos oculos non habent, sed sola ratione, queritur, quis videndi sit ille modus.

Philosophus: Quis autem modus sit in hac vita, sciri non potest, sicut nescimus, quem modum loquendi inter se habeant angeli. Sed reipsa experiemur cognoscendo per rationem divinitatem, in cuius visione nostra consistit beatitudo, quia, ut dicit apostolus, tunc cognoscam sicut et cognitus sum.[1080] Sicut enim scientiam meam, de qua iam certus sum, scio, nec eam oculis corporeis conspicio, ita sola ratione Deum conspiciemus, non corporeis quidem oculis, qui tamen splendidi erunt et valde relucebunt et nichil eis poterit resistere, quin penetrent, et uno intuitu videbimus ab oriente usque ad occidentem. Per sensus tamen istos, etsi aures

[a] habet] *inter lineas*

[1078] 1 Cor. 7,31 [1079] Matth. 24,7; Luc. 21,11 [1080] 1 Cor. 13,12

etiam tales fuerint, quod nullus sonus poterit fieri, qui statim non audiatur, nichil in cognitione proficiemus. Sicut enim modo omnia sunt speculum Dei ad ipsum cognoscendum, ita econtra in alia vita solus Deus omnium speculum erit, ut ex ipso solo, quem in mente habebimus, phisicas omnium rerum, quantum oportebit, cognoscamus. Et hoc est, ut diximus, "ipsi peribunt", id est formas istas mutabunt et novas suscipient.

Sed tu quidem "permanebis", quia nec secundum divinitatem, quod palam est, quoniam divinitas mutari non potest, nec etiam secundum humanitatem alium statum accipies, sed in isto, quem habes modo, in ęternum perseverabis, quia stabilisque manens das cuncta moveri.[1081] In quibus verbis eadem continetur sententia, que hic monstratur.

Et quia hic dicit: Peribunt, ne videretur, quod omnino perituri essent, iam temperatum ponet dicens, quia mutabis eos et mutabuntur. Quod enim perit, omnino esse desinit, ut anime brutorum animalium, que ex toto depereunt. Quod vero mutatur, substantia permanet nec suum esse amittit, quamvis de uno statu in alium transeat.

Obicitur ex eo, quod in apocalipsi dicitur quedam elementa ex toto peritura esse sicuti aquam.

Philosophus: Aqua, inquit, ibi, sicut hic celi deperire dicuntur, quia ipsa alium statum assumet multo meliorem et excellentiorem, quam habeat vel umquam habuerit. Substantia enim illa, que aqua est, que modo fluida est, non tunc aqua remanebit, sed spissabitur et in soliditatem fortasse convertetur.

"Et omnes", celi videlicet, "veterascent sicut vestimentum", qui etiam vestimenta Dei dicuntur id est ornamenta, quia in his glorificatur Deus et laudatur. Omnes enim creature sunt quasi vestimenta Dei, non solum electi, de quibus dicitur in propheta: His vestieris,[1082] sed etiam insensibilia.

[1081] Boethius, *De consolatione philosophiae lib.* 3 Metrum 9 (PL 63,758). Cf. Abaelard., *Theologia lib.* 1 c. 17 (PL 178,1015); c. 20 (PL 178,1026); *Theologia christiana lib.* 3 (PL 178,1239). [1082] Is. 49,18

Electi autem sunt Dei ornatus, ex quorum bona conversatione, quemadmodum de familia bene ordinata laudatur dominus et pro magno habetur, qui tali preest familie. Ita et Deum alii glorificant et plurimum laudant, qui tales subiectos habet. Unde veritas: Luceant opera vestra bona coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum, qui in celis est.[1083] Insensibilia quoque illum artificem, ex quibus facta sunt, mirabilem predicant et dignum laudari et glorificari suum loquuntur creatorem. Unde dicitur: Laudate celi Dominum, laudate montes, laudate colles, laudate[a] universa,[1084] acsi dicatur: Vos quidem, rationabiles creature, laudate et glorificate Deum in omnibus operibus suis, quia non est opus illius, quod laudem ipsius non predicet. Unde quidam[1085] dixit, quod nulla creatura est, que sensum in Deo non habeant, etiam insensibilia, quoniam laus Dei et gloria in universis operibus suis predicatur. Et hoc est et omnes celi tam etherei quam aerei, qui et ipsi sunt Dei vestimenta, "veterascent", id est ex vetustate deficient et mutabuntur[b] ad modum vestimenti.

Vestimenti autem mutatio fit quandoque in diversis vestimentis, veluti quando puero crescente indumenta, que prius habuit, tum quia vetera sunt, tum quia brevia, removentur et alia dentur illi. Quandoque vero in eodem vestimento, quod iam pre antiquitate dissolutum et tenue factum fulloni ad spissandum traditur et ad novum statum in eo reparandum, quomodo etiam, ut aliquid ludicri interseramus,[c] veteres dialectici refullari debent, ut novi fiant, vel lectores etiam, qui iam inveterati sunt, ut in suo renoventur officio et in iocis, quos iam amiserunt, per senium reviviscant. Veluti de quodam gabbatore et iocatore iam veteri facto contigit, quem canonici beati Martini Turonice civitatis ad domum fullonis ducentes refullaverunt. Quibus, cum ipse in vase pannorum poneretur, ait: Pro Deo, quid facietis?

[a] laudate] ladate [b] et mutabuntur] *in margine* [c] ut—interseramus] *inter lineas*

[1083] Matth. 5,16 [1084] Psalm. 148,4,9,10. [1085] Cf. Abaelard., *Theologia lib.* 1 c. 15 (PL 178,1006). Cf. *notam* 351

At illi: Nos certe renovabimus te, quia in iocis tuis inveteratus es. Ad hunc quidem modum mutabitur mundus, qui in novam formam transibit et tamquam a Deo refullabitur eadem, que nunc est, permanente substantia.

"Et velut anmictum". Quasi dicat: Veterascent, dico, et tunc in vetustate illa tu, Deus, "mutabis eos", id est celos, "sicut amictum", id est ad modum amictus. Et istud, ut dixi, quod subnectitur, determinat, quomodo ipsi peribunt, quod premissum est, intelligendum sit. Et cum dicat: Mutabis eos, et subiungat: et mutabuntur, mutabis ad dispositionem, quam iam habet de renovatione mundi, referes; mutabuntur vero ad operis executionem, quia, quemadmodum de novitate illius disposuerit, ita et ipse exequetur.

"Tu autem". Illi quidem mutabuntur, sed "tu idem ipse es", id est variabilis perseveras, "et anni tui", id est permanentia tua, que ex quadam translatione per annos, in quibus nostra consistit duratio, significatur, non deficiet, id est nesciet defectum.

"Ad quem autem". Post commendationem illius ex divinitate redit ad commendationem eiusdem ex humanitate, ex qua eum etiam angelis prefert.

Continuatio: Ut dictum est, legislator noster magnus et **angelis** longe excellentior est, quod et inde apparet, quia videlicet "ad quem" etc., id est, cui angelorum hoc umquam dixit: "Sede ad dextris", id est sede interim in illa eminenti vita,[a] de qua supra: sedet in dextera maiestatis in excelsis[1086] tamquam iudex et dominus omnium. "Quoad" etc., id est donec eos etiam, qui modo tibi resistunt et renituntur, faciam tibi subiectos, si non ex amore, saltem ex timore, qui in illo iudicio communi contremiscent et te, velint, nolint, qui te humilem hic contempserunt, sublimem ibi recognoscent. Ille enim primum humilis venerat in similitudinem carnis peccati,[1087] etsi ipse a peccato omnino esset immunis. Quamvis enim peccare non poterat, secundum carnem tamen erat

[a] vita] *inter lineas*

[1086] Hebr. 1,3 [1087] Rom. 8,3

sicut ceteri infirmus. Quippe esuriens erat, sitiens erat, quemadmodum ceteri hominum. Et ideo multi in eum offenderunt non putantes Deum in tam abiecta forma hominem visitare. Unde ipse pluribus fuit lapis offensionis et petra scandali.[1088] A magnis enim lapidibus bene precavemus nobis, sed lapilli, qui latent et quos pre parvitate non videmus, sepe sunt nobis offendiculo. Ita et ipse Dei Filius in tam humili forma absconditus, sicuti, ut diximus, in similitudine carnis peccati, erat lapis offensionis, qui, ut habetur in Daniele,[1089] tandem crevit in montem magnum et replevit mundum universum et postremo sedet ad dexteram Patris super omnia sublimatus, de cuius sede dicit Pater ad ipsum: "sede ad" etc., id est interim in hac eminentia sede tamquam iudex, cuius est sedere et ceteros iudicare, "quoad" etc., id est donec resistentes pedibus etiam tuis subiciam, id est humanitati, que est inferior natura in ipso, que per pedes recte significatur, qui sunt partes persone inferiores.

Non dicitur, quoadusque illa dies venerit, quando omnes ei humiliabuntur vel ex amore vel ex timore penarum, quod tunc cesset eius sessio, sed de illo tempore dicit, de quo minus videretur. In hac enim werra dum undique ei resistitur tam a iudeis quam a sarracenis nec ab illis pro Deo habetur, manutenebit eum, donec illa venerit dies, cum nec tunc cessabit illum manutenere, quando omnes ei subicientur et omnes eum recognoscent superiorem, in illo videlicet iudicio, ubi angeli contremiscent et in tremore purgabuntur. Angeli autem isti, qui in tremore purgabuntur, non intelliguntur nisi ministri ęcclesie || et prelati, quos scriptura sepe angelos 167r
appellat iuxta illud: Angelus enim testamenti est et labia sacerdotis custodiunt iustitiam.[1090] Hii quidem videntes in illa die, que, quamdiu durabit, nos nescimus, dampnationem diaboli cum membris eius tremebunt et illis ita contremiscentibus illorum dampnatio erit ad purgationem.

Et nota, quod, cum hic dicatur: Sede ad dextris meis, et alibi: Dominus michi ad dextris est, ne commovear,[1091] illud

---

[1088] 1 Petr. 2,8 [1089] Dan. 2, 34 sq., 45 [1090] Malach. 2,7 [1091] Psalm. 15,8

quidem dictum est de Christo adhuc agonizante et pro suis in terra dimicante contra diabolum, ut ab ipsius potestate eos erueret et a iugo peccati liberaret.

"Nonne omnes". Acsi dicat: Nulli angelorum neque quod in proximo dictum est, dixit, neque supraposita, sed soli Filio.[a] Et merito, quia nonne "omnes", id est tam maiores angeli quam minores, "sunt spiritus administratorii", id est deputati ad ea administranda, que ipse et ubi voluerit. "Missi" etiam ab ipso, "in ministerium", id est ad ammi-nistrationes quascumque eis ab ipso iniunctas peragendas. Et est expositio precedentis. Et cum Deus ita per angelos ea, que vult et ubi vult, amministret, ex se tamen sufficiens est ea ipsa amministrare sine omni internuntio. Sed non decet tantum regem sine ministris esse nec eum quecumque facere convenit, que per suos operatur ministros. Sicut nec regem quemlibet, ut beatus dicit Augustinus, cui gladius materialis commissus est, non decet manus suas in interfectione alicuius polluere, sed aliquem sub se habere, qui precepto illius istas vindictas accipiat.

"Propter eos". Missi, dico, in ministerium et hoc "propter eos", id est propter electos Dei custodiendos. Cum enim diabolus nobis insidietur et precipitium mortis aliquod quocumque modo machinetur, angelus bonus presens est, qui sepe a periculis huiusmodi nos divertit et eripit et persuadet contrarium et ita frequenter mortem incurreremus, nisi angelus, qui preest, tamquam custos[b] nobis precaveret.

"Qui capient", id est accipient, a Deo videlicet distributore, "hereditatem salutis", id est salutem eternam in hereditatem, id est in perpetuum, que hereditas filiorum est. Si enim filii, et heredes per Deum, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.[1092]

[a] sed soli filio] *inter lineas* [b] custos] *inter lineas*

[1092] Rom. 8,17

[Cap. 2]

"Propterea". Tanquam de omnibus premissis conclusio est. De fide enim, ut in exordio diximus, in hac prima parte epistole et a fundamento fidei, id est a Christo, incepit, quem iam multis modis commendavit dicens, quia locutus est nobis[a] in Filio, quem[b] tanto angelis excellentiorem esse convicit, quanto nomen differentius in perpetuum assecutus est. Et inde concludit, ut videlicet, quanto ipse excellentior est, tanto diligentius precepta eius cutodiamus, presertim cum, si eum contempserimus, maior sit contemptus et ita maiorem penam incurramus. Et hoc est "propterea", quia videlicet iste legislator, qui tantus est, ut suprapositis testimoniis confirmatum est, "habundantius", id est amplius et diligentius, "oportet", id est certum est, "observare", id est custodire nos, illa, "que audivimus", id est que ipse predicavit nobis apostolis et ceteris quampluribus.

"Ne forte". Oportet, dico, "ne forte" ipsum contempnentes "pereffluamus", id est ex toto anullemur. Qui autem ceteros sive angelos sive ministros ęcclesie contempnit, ille quidem effluit, quia de eo adhuc aliquid boni sperandum est. Qui vero Deum contempnit, pereffluit, id est ex toto destruitur et omnino adnichilatur, quia maiorem contemptum incurrere quis non poterit.

"Si enim". A minori ostendit, quod huic legislatori, qui tantus est, obediendum est, quia, si[c] angelis aliquid precipientibus ministris huius Domini obediendum erat, multo magis ipsi Domino obedientia exhibenda est, quia non est sanctus sicut Dominus.[1093] Et ita adortatur, ut omnibus modis doctrine eius obediamus, quia, si Deus contemptum angelorum adeo punivit, quid faciet de contemptu Domini? Multo quidem gravius contemptum illius puniet. Et hoc est

[a] nobis] *inter lineas* [b] quem] *inter lineas* [c] si] *inter lineas*

[1093] 1 Reg. 2,2

"si enim", acsi diceret: Et vere oportet nos ea custodire, que ipse predicavit, quia, "si sermo", id est preceptio, que per angelos amministrata est, firma ita facta est, quod ab aliquo illis resistendum non fuit in eis, que ipsi precipiebant.

"Et omnis prevaricatio". Quod exponit "inobedientia", id est omnis eorum contemptus graviter a Deo punitus est. Et hoc est, quod supponit "accepit iustam mercedis retributionem", id est omnis prevaricator precepti illorum iuste a Deo punitus est, veluti Zacharias, qui angelo non credidit, loquelam amisit.[1094]

"Quomodo effugiemus", id est evademus manus Domini, in cuius manus, ut infra[1095] dicetur, horrendum est incidere, "si" videlicet "neglexerimus", id est contempserimus "tantam salutem", id est tam salubrem doctrinam Christi, cui nichil supplendum est. "Que" videlicet doctrina salubris "initium accepisset enarrari", id est, cum cepisset predicari, "per Dominum", id est Christum Jhesum, "ab eis", id est a ceteris apostolis, qui eum audierunt. Iste enim apostolus non vidit Dominum Jhesum in carne sicut ceteri.

"Confirmata in nobis", Non dicit: Confirmatus sum in illis, quia, ut in epistola ad Galatas ipse meminit, nichil michi contulerunt illi,[1096] etiam qui videbantur columpne esse,[1097] sed et ego illis contuli, quia Petro, qui reprehensibilis erat, in facie restiti coram omnibus.[1098] Et in illa collatione, quales ipsi, qui aliquid videbantur esse, fuerint, nichil mea interest. Iste enim apostolus omnibus aliis in reddendis rationibus, ubi deficiebant ceteri, astutior erat. Et ideo dicit: Confirmata est in nobis doctrina illa Christi per ceteros apostolos, qui audierunt. Non utique confirmatus sum in illis, quia per eos, qui predicant hoc ipsum, quod ego predico, signis etiam, que Deus illis confert attestantibus predicationem eorum veram esse, confirmatum est de mea doctrina, quoniam bona est, quia et ipsa eadem est cum doctrina illorum, et ego idem ipsum predico, quod et ipsi predicant.

[1094] Luc. 1,22 [1095] Hebr. 10,31 [1096] Gal. 2,6 [1097] Gal. 2,9 [1098] Gal. 2,11

"Contestante". Confirmata est, dico, et hoc "Deo contestante", id est asserente et confirmante per signa, portenta, virtutes varias. Signa autem ea dicuntur, que in se nichil utilitatis habent, sed tantum fiunt ad signandum aliquid. Veluti stella, que in nativitate Domini apparuit, vel etiam columba, in qua visus est Spiritus Sanctus, creata est nullam in se utilitatem habens, sed ad hoc tantum facta, ut aliquid signaret. Portenta vero, que non ad signum fiunt, sed manifestum in se commodum habent, veluti cum de sua quis curatur infirmitate. Virtutes quidem varias appellat iustitiam et ceteras virtutes, que multum cuiuslibet confirmant predicationem. Ex bona enim vita predicatoris eius predicatio plurimum commendatur. Distributiones vero vocat cetera dona, que virtutes non sunt, sicuti gratiam curationum, quam et Lucas habuit, vel etiam gratiam in redendis rationibus, que pre ceteris huic apostolo collata est. Et hoc "secundum suam voluntatem", id est iuxta hoc, quod ipse disponit, quia, sicut alibi habetur, dividit singulis prout vult.[1099]

"Non enim", Assignatio loci est, quem a minori fecit, acsi diceret: Bene a minori ostendi, quia iste angelus multo maior et longe excellentior est. Quod et inde apparet, quia videlicet "Deus" etc., id est illi non solum ea, que facta sunt, subiecit, sed et futura sive de reparatione novi orbis, sive de ceteris, quecumque futura sunt, que ita in sua posuit potestate, ut homo ille, ut supra meminimus, ad notum suum omnia disponat, quod angelis quidem non contulit. "De quo" videlicet orbe futuro "loquimur" in hac epistola.

"Testatus est autem". Quod autem orbem futuram ei subiecerit, probat, quia videlicet omnia ei subiecit. Et ad hoc testimonium prophete[1100] inducit, per quod eius monstrat excellentiam. Et hoc est "testatus est in quodam loco" scripture "quis", id est quidam dicens. Non nominat illum, cuius est testimonium, et hoc etiam ad excellentiam persone, acsi diceret: Quedam persona excellens et nobis nota. Sepe

---

[1099] 1 Cor. 12,11 [1100] Psalm. 8,5

enim de re, de qua loquimur, ad commendationem illius ita ponitur. Unde Porfirius: Substantia est quiddam, id est magnum aliquid. Idem Augustinus:[1101] Cum peccatum, inquit, ad mortem est, non oret quis pro eo, id est non oret pro eo nisi persona honesta et Deo familiaris. Qualis fuit Jeremias, ut ipse dicit:[1102] qui pro populo antiquo oravit, ut Deus ei non irasceretur. Cui Dominus: Vide, ne amplius obsistas michi orationibus tuis, ut huic populo possim irasci et furorem meum vindicare. Sepe enim orationibus sanctorum fit Deus propitius, ut suis parcat subiectis.

Et hoc est "Quid est homo". Ecce ab humiliatione Christi inchoat prius quam eius excellentiam monstret, ut ita ad hoc competentiorem habeat accessum, ut inde commendabilior appareat illius exaltatio. Et est ammiratio prophete, qui intelligens per Spiritum reparationem hominis futuram per Verbum Dei incarnatum, flagellatum, passum morte vilissima, morte autem crucis, que tunc temporis ignominiosior habebatur, mirabatur, unde id homo meruerit, ut videlicet Deus vilitatem carnis nostre suscipere dignaretur et tandem in patibulo poni et mori, quo nullum probrosius fuit, presertim cum homo tam graviter deliquerit dignus potius eternaliter cruciari quam reconciliari. Et hoc est "quid est", id est quanti meriti est homo, "quod" videlicet ita "memor es eius", id est, quod dignatus es talem de illo habere memoriam, de eius videlicet reconciliatore[a] mittendo, Filium incarnari, postremo tam viliter mori et ante mortem tot angustias tolerare, quod in comparatione illius, quicquid alii patiantur, nichil est.

"Aut filius". Quasi dicat: Aut etiam quid est "filius hominis", per quem fit hominis reparatio, id est, quibus meritis est assecutus. Filium hominis Christum Jhesum appellat, qui est filius hominis, non hominum sicut ceteri. Unius

---

[a] reconciliatore] reconciliatiore

[1101] Cf. Augustin., *De sermone Domini in monte lib.* 1 c. 22 n. 73 (PL 34,1266) [1102] Jerem. 7,16 sqq.

enim hominis filius est, quia in eius conceptione non fuit nisi unus, sola videlicet mater, que sola eum genuit, de cuius dignitate ammirans propheta querit, quibus id habuerit meritis, quod videlicet tu, Deus, eum ita visitas. Acsi diceret: Nullius meritis, hoc assecutus est. Quod enim Deus illum univit sibi in personam unam, ex sola gratia fuit, non ex aliquo merito precedente.

Dicit autem: Visitas, quod est frequentativum ad modum alicuius medici, qui sepe visitat infirmum, de cuius salute plurimum sollicitus est et de quo maiorem habet curam frequenter ei assistens, ut in omnibus illi provideat et omnibus modis precaveat, ne quid bibat vel comedat, quod ei noceat. Ita et Deus istum hominem, cui unitus est in personam unam, semper pre ceteris, ex quo fuit, visitavit, ne quo modo sicut ceteri in peccatum laberetur. Alios quidem ad tempus dimittit Deus et permittit in peccatum labi. Sed hunc numquam dimisit manutenere, ut omnino a peccato semper esset immunis.

"Minuisti eum". Quasi dicat: Ita eum pre ceteris visitas, sed tamen || "minuisti" etc. Minoratus est enim in modico 167v
ab angelis, qui non solum mortalis fuit, sed et mortuus est. Minoratus est, dico, in illa videlicet dissolutione, quam in cruce sustinuit, per quam ex toto esse desiit. Angeli vero deficere non possunt, quia spiritus sunt.

Queritur, si anima illa, que sola cruciatus illos passa est, in aliquo minorata fuerit ab angelis, cum et ipsa passibilis fuerit creata sicut et cetere anime. Philosophus: Non ideo, inquit, in aliquo minor facta est, sed semper, ex quo fuit angelica natura, longe fuit excellentior. Nec enim homo ille minoratus est, quia passibilis fuit, sed in illa dissolutione minor factus est, per quam ex toto esse suum amisit, cum primum aliquid fuerit.

Et hoc est "minuisti", id est minorasti eum in illa videlicet dissolutione, per quam esse desiit. Eum dico factum "minus ab angelis", id est rem minorem, et hoc "paulo", id est in modico, quia dissolutio ista non multum duravit in eo sicut

in ceteris hominibus, quia in die tertia resuscitatus est, qui iam non[a] moritur nec mors ultra illi dominabitur.[1103]
Nota tamen, quod, quamvis in illa dissolutione minoratus fuerit ab angelis, non tamen simpliciter minoratus est, qui semper longe extitit excellentior.
"Gloria et honore". Minuisti, dico, in modico et ita coronasti eum "gloria et honore", id est glorioso honore, quia per illam dissolutionem dedisti ei nomen, id est salvator, quod est super omne nomen. Quippe non[b] in alio nomine quam in nomine Jhesu, id est salvatoris, oportet salvos fieri credentes.[1104] Coronasti autem, dicit, quod est eorum, qui agonizant, qui post agonem suum premium corone suscipiunt. Ita enim et Christus post certamen suum coronatus est super omnem creaturam sublimatus, in cuius arbitrio ita sunt omnia constituta, ut, quicquid velit, disponat. Et hoc est, quod supponitur: "et constituisti", id est sublimasti eum, non super opera, sed etiam "super opera manuum", id est super rationales creaturas, que specialiter opera Dei dicuntur. Sicut enim, cum multi carpentarii aliquam domum construunt, quidam est, qui omnibus preest et per quem, quicquid operantur ceteri, faciunt, ipse quidem excellentiora facit opera, que et ipsius specialiter dicuntur, quamvis et cetera per ipsum fiant. Ita et creature rationales proprie Dei dicuntur opera, que sunt opera illius excellentiora, quamvis et ipse cetera condiderit omnia. Manus autem, ut supra, divinas vocat dispositiones.

"Omnia subiecisti". Et vere super opera manuum tuarum constituisti, quia omnia "subiecisti", id est universa ita in potestate etiam hominis posuisti, ut quicquid voluerit de quarumlibet rerum dispositione, ad nutum illius statim fiat.

"In eo autem". De extremo testimonio, propter quod[c] premissa induxit, procedit apostolus, acsi diceret: Bene hoc induxi ad eius excellentiam comprobandam, quia "in eo" etc., id est nichil reliquit, quod in sua non poneret potestate.

---

[a] non] *inter lineas* [b] non] *inter lineas* [c] quod] *inter lineas*

[1103] Rom. 6,9 [1104] Act. 4,12

"Nunc autem". Quasi dicat: Et cum omnia ei subiecerit necdum tamen nunc "videmus", id est experimur, omnia ei subiecta esse, quia adhuc et iudei et sarraceni recalcitrant et renituntur nec eum superiorem esse recognoscunt. Sed hoc tamen ex ipsa eius dispositione est, qui nundum de eorum disposuit conversione, qui tandem, etsi non ex amore, tamen ex timore eum omnibus superiorem recognoscent, in illo quidem communi iudicio, ubi suos conculcabit inimicos.

"Eum autem". Quasi diceret: Necdum omnia ei subiecta videmus, sed "eum", videlicet "Jhesum", id est salvatorem nostrum, qui videlicet "modico" etc., id est paulo minor factus est quam angeli, in hoc videlicet, "ut gustaret" etc., id est in illa dissolutione per mortem, quam gratia Dei non meritis nostris pro nobis sustinuit.

"Videmus", id est experimur per ea, que in ecclesia facta sunt, "coronatum" esse honore glorioso et hoc "propter passionem", per quam videlicet salvator factus est.

"Dicebat enim". Dixit, ut gratia Dei gustaret mortem. Ad quod diceret aliquis: Fuitne conveniens ipsum pati et pro nobis mori? Ita utique summum conveniens, ut videlicet virtus eius et constantia probaretur. Si enim conveniens fuit martires in suis agonibus probari et virtutem eorum et constantiam manifestari, esset etiam inconveniens, nisi virtus illius et constantia, qui tantus est, qui non solum humane excellit nature, sed et angelice, probaretur in agone.

Continuatio: Bene dixi, ut gustaret mortem, quia ita "decebat", id est conveniens erat,[186*] ut videlicet per agonem ipse, qui tantus est, probaretur, in cuius agone duo Deus in nobis fecit, unum quidem, quod nos in summum amorem ipsius accendit per illam summam caritatem, quam nobis moriendo exhibuit, qua, ut ipse dicit, nemo maiorem habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis,[1105] id est nemo maiorem dilectionem potest alicui exhibere, nisi quod pro

---

[1105] Joh. 15,13

[186*] Ad sequentia cf. notam 178*

eo moriatur. Et ita per hunc summum amorem nobis exhibitum in summam eius accendimur dilectionem, que non solum in nobis succedentibus ipsi passo accensa est, sed et in precedentibus ipsius passionem, qui et eandem fidem habuerunt cum ipso, quam nos habemus. Eadem enim flamma amoris, que in nobis accensa est per rem completam, accensa est et in illis per rem complendam, qui illum quidem crediderunt passurum, quem nos credimus iam passum. Et ita tam in nobis quam in illis amor Dei summus accensus est et dilatatus per illas summas angustias, quas pro nobis passus est, qui non quocumque modo mortuus est, sed morte turpissima condemnatur.[1106] Unde, cum apostolus dicat: Obediens usque ad mortem, subnectit: mortem autem crucis,[1107] que videlicet in illo tempore ignominiosior erat et blasphemis Dei debebatur. Et hoc ad contumeliam illius factum est ab iniquis hominibus, quia morte turpissima condempnemus eum.[1108] Item, ad conservationem humilitatis in electis suis, quia humilitas omnium virtutum conservatrix est, hoc fecit Deus, ne videlicet de virtutibus suis, quascumque facerent, gloriantes in aliquam inciderent elationem superbie. Superbia enim non ex vitio procedit, sed ex bono cognito, quod in aliquo eminet, in quo et ipse se aliis supereminere attendit, qui inde facile in superbiam labitur, a qua cavenda per humilitatem[a] Deus suis providit electis, ne de bono,[b] quod in se recognoscunt, vel de virtutibus, in quibus probantur, facile possint elabi in superbiam, sed semper ad Christum, qui tot et tanta sustinuit, respicientes, quoscumque agones perficiant, quascumque pressuras sustineant, in comparatione illius pro nichilo reputent dicentes cum psalmista: Quid retribuam Domino pro omnibus, que retribuit michi,[1109] id est, quid dignum potero Deo reddere pro omnibus, que propter me fecit, qui incarnatus est et in assumpta humanitate passus est, mortuus est et in patibulo ignominiosissimo positus. Et hoc totum sine culpa, cum ex toto a peccato

[a] cavenda per humilitatem] *inter lineas* [b] bono] *inter lineas*

[1106] Sap. 2,20 [1107] Philipp. 2,8 [1108] Sap. 2,20 [1109] Psalm. 115,12

fuerit immunis. Ego quidem, si patior, pati merui et pena michi debetur, cum sine peccato non sim. Et ita in comparatione illius agones ceterorum, pressure ceterorum, quantecumque sunt, nulle sunt. Si enim attendant martires, quid ipse fecerit, quecumque ipsi egerint, statim eis vilescunt respicientes ad angustias, quas ipse sustinuit innocens, que omnes superant angustias, quoniam, ut ipse testatur, omnes, qui transitis per viam, venite ad me et videte, quia non est dolor sicut dolor meus.[1110] Quid est enim, quod in frigore illo, de quo dicit ewangelista: Frigus erat et Petrus stabat calefaciens se,[1111] nudum eum fecerunt et nudatum flagellaverunt et ligatis oculis percusserunt eum dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit.[1112] Item coccino induerunt eum,[a] id est vili panno quodam pro purpura ad illusionem, in manu pro sceptro ponentes harundinem, et spinis coronaverunt eum usque ad cerebrum per caput immissis.[1113] Et, ut cetera pretermittam, quod eum vexaverunt ducentes modo ad Herodem,[b] modo ad Pilatum, illud maximum dedecus et sumam contumeliam illi fecerunt, quod videlicet eum undique sputis illeverunt, quod de nullo umquam legitur nisi de illo factum fuisse. Tandem ipsum fecerunt crucem portare, donec eo fesso et pre angustiis adeo magnis iam fatigato coegerunt quendam, ut eam portaret, et ita in patibulo mortis vilissimo eum crucifixerunt et ad maiorem eius contumeliam hinc et hinc duos posuerunt latrones, ut et ipse similis culpe esse videretur.

Et quid de illa crucis angustia, ubi totum corpus clavis confixum in duobus sive quatuor sustinebatur, cui tot et tantas angustias ante mortem intulerant, quod in patibulo positus statim dissolutus est. Unde postmodum ad eum venientes et mortuum invenientes non fregerunt ei crura sicut ceteris.

In agone itaque illius et Deus in sumam dilectionem nos accendit et per humilitatem omnium virtutum conservatri-

---

[a] eum] *inter lineas* [b] Herodem] heredem

[1110] Thren. 1,12 [1111] Joh. 18,18,25 [1112] Luc. 22,64 [1113] Marc. 15,17-19

cem providit nobis, ne de operibus nostris gloriantes si quomodo in superbiam laberemur. Hoc autem est, quod in Ezechiele[1114] legitur: Vidit enim animalia pennas habentia, qui erigebant se usque ad firmamentum et vidit similitudinem troni et desuper filium hominis. Et cum desuper firmamentum audita fuerit vox, statim animalia alas suas demittebant. Per firmamentum autem accipiuntur angeli confirmati, quibus non cedunt electi, qui per animalia significantur; sed usque ad eos per pennas suas, id est per virtutes, que per pennas designantur, quibus pennis itur ad celestia, se sublevant. Parum est enim, quod angeli fecerunt, qui aliis corruentibus non corruerunt, aliis superbientibus non superbierunt, in comparatione hominum, qui pressuris quibuscumque imminentibus Deo semper coherent, a quo nullus cruciatus eos separare potest. Quid est enim, quod puelle etiam tenere et delicate pro Deo passe sunt, ut Agathes, que tantos cruciatus in torsura mamillarum propter Deum[a] sustinuit. Et ita angeli potius sunt occasio quedam superbiendi, quia in comparatione hominum, quicquid illi egerunt, nichil
168r est, qui videlicet aliis cadentibus non ceciderunt. || Sed cum vox desuper audita est, id est, cum martires audiunt predicationem de Christo, qui tot et tantas sustinuit pressuras, dimittunt alas suas, id est,[b] quicquid ipsi fecerint, tamquam pro nichilo habent. Et Laurentius ad Christum respiciens agones suos pro nichilo reputat et omnes veritates, quas ipse fecerit, in comparatione illius statim vilescunt. Et propter causas istas, ut videlicet nos in summam caritatem accenderet et per humilitatem a superbia nobis provideret, dicit, quia decebat eum ita facere, ut et virtutem suam et constantiam probaret sicut ceteri. Iste enim Cares noster. Cares autem, de quo Tullius loquitur, pictor bonus non solum verbis docebat homines pingere, sed et exemplis, quia et ipse manus adhibebat et operabatur coram omnibus. Nullus enim pictor sive sculptor adeo bene instruit alium sicuti per

---

[a] propter Deum] *in margine* [b] dimittunt alas suas, id est] *inter lineas*

[1114] Ezech. 1,22-25

operationem propriam. Ita et Christus, Cares noster, non solum per verba nos instruxit, sed et per exempla, que nobis relinquit, qui cepit et facere et docere. Unde Petrus apostolus: Relinquens vobis exempla, ut sequamini vestigia eius,[1115] id est passionem illius. Cum enim ipse, cui pena non debebatur, pro nobis passus sit, merito et nos, quibus debetur passio, debemus passionem eius imitari.

Et hoc est "decebat", id est decens erat, "eum", scilicet Deum, "propter quem", id est, ad cuius gloriam omnia creata sunt, iuxta illud: Omnia creavit Deus ad gloriam suam.[1116] Et "per quem", id est a quo omnia condita sunt. "Qui", videlicet Deus Pater, iam "adduxerat", id est ante Christum extulerat, "multos filios", id est multos sibi per amorem coherentes, "in gloriam", id est in gloriosa certamina. Acsi diceret: Multos martires sibi fecerat, veluti in prophetiis factum est, quorum alius sectus est per medium, ut Ysaias; alius lapidatus est, ut Jeremias.

"Consumare", id est facere consummatum, id est probatum apparere, "per passionem", ut videlicet virtus illius, qui tantus est, qui et angelis et hominibus longe excellit, probaretur. "Auctorem salutis eorum", id est Christum, qui est auctor salutis illorum, qui etiam passionem ipsius precesserunt, quos et ipsa eius passio, quam futuram esse revelabat eis spiritus, ad martirium animabat. Si quis vero nonnullos ante adventum Christi[a] salvos esse astruit, qui de Christo fidem non habuerunt, quam longe a veritate discrepat, non attendit.

Nota, quod si in libro habetur consummari, ita littera legenda est, acsi dicatur, quia videlicet decebat "eum", scilicet Christum, "propter quem" etc., quod non mutatur. Eum dico "auctorem" etc. "consummari", id est consummatum apparere, quemadmodum ceteros.

---

[a] ante adventum Christi] *inter lineas*

[1115] 1 Petr. 2,21 [1116] Prov. 16,4: Universa propter semetipsum operatus est Dominus.—Abaelardus, *Expositio in ep. Pauli ad Rom. lib.* 4 c. 11 (PL 178,937C) scribit: "sicut in proverbiis scriptum est: Universa propter semetipsum creavit Deus . . ."

"Qui enim". Diceret aliquis: Habuitne in quo potuerit consummari per passionem. Ita utique, quia et ipse verus homo fuit sicut ceteri. Et hoc est, quia et qui "sanctificat", id est Christus, "et qui sanctificatur", id est electi, qui per ipsam sanctificantur, "omnes ex uno", id est omnes sunt unius nature, id est homines sunt. Est enim verus homo ille, qui per passionem sanctificat sicut et illi, qui sanctificantur.

"Propter quam causam". Quia videlicet sunt unius nature, "non confunditur", id est non erubescit, "eos", id est electos suos, appellare fratres. Ad quod inducit testimonium prophete,[1117] quod est "Nuntiabo" etc., id est predicatione mea manifestabo fratribus meis, qui videlicet sunt ex veteri Adam sicut et ego, qui est pater omnium, a quo et ego carnem assumpsi, "nomen tuum", id est notitiam tuam. Res enim unaqueque suo nomine designatur et cognoscitur et ideo nomen pro notitia ponitur. Et est tale, acsi dicatur: Ego predicatione mea faciam eos tuam habere notitiam. Unde alibi veritas: Manifestavi nomen tuum hominibus.[1118] Non enim veni gloriam meam querere, sed eius, qui misit me, Patris.[1119]

Et hoc est, quod supponit "laudabo te", id est glorificabo te, cuius gloriam veni querere, non meam. Et hoc "in medio ecclesie", id est in comuni coram electis, quia in occulto locutus sum nichil.[1120] Fides enim, quam ego predicavi, catholica est, non angularis, sicuti fides hereticorum, quam ipsi in angulo, non in communi predicant.[187*]

"Et iterum". Item aliud inducit testimonium, testimonium videlicet Ysaie[1121] ad hoc, quod dictum est per passionem consumare. Acsi dicat Filius: Et bene potero securus pressuras istas et cruciatus quoscumque sustinere, quia ad

[1117] Psalm. 21,23 [1118] Joh. 17,6 [1119] Joh. 5,30; 8,50 [1120] Joh. 18,20 [1121] Psalm. 17,3; Is. 8,18

[187*] Abaelard., *Theologia lib.* 1 c. 4 (PL 178,986 D); *Sent. Herm.*, c. 2 (PL 178,1697C)

dextris est michi Dominus,[a] ne commovear,[1122] qui habeo verbum michi unitum in personam unam, quod non cessabit me manutenere, quod me non sinet deficere quibuscumque pressuris. Et hoc est, quia "ego ero fidens in eum",[1123] id est ex toto fiduciam meam ponam in ipsum et alios etiam exemplo mei eandem confidentiam habentes ad tribulationes quascumque tolerandas animabo.

"Et iterum". Testimonium eiusdem prophete.[1124] Acsi diceret: Ego, quem decet consumari per passionem, hanc fiduciam habens, "ecce" etc., id est presto sum facere, quicquid preceperis. Et non solum ego, sed "et pueri", id est servi mei, qui ex timore non serviunt, sed pura caritate et sincera intentione propter Deum parati sunt tibi in omnibus obedire meo exemplo animati. "Quos", videlicet pueros, "dedit michi Dominus", de quibus non perdidi quemquam preter unum, filium videlicet perditionis, id est Iudam.

"Quia ergo". Acsi diceret: Et quia pueri illius participaverunt "carni et sanguini", id est carnalibus viventibus. Religiosorum enim ita est natura infirma et passibilis sicuti irreligiosorum. Et quia communicaverunt, ergo et ipse Dominus amore illorum "communicavit hisdem", id est eandem naturam infirmam assumpsit et sibi in unam univit personam, ut in ea assumpta moriendo eos redimeret, quia in similitudinem carnis peccati factus,[1125] ut eos, qui sub carne erant, redimeret.[b][1126] Et hoc est quod supponitur "ut per mortem", quasi dicat: Et ad hoc participavit, "ut" videlicet ita per "mortem", id est in assumpta humanitate moriendo, quia divinitas mori non potuit, et ita nobis summam dilectionem immitendo[188*] "destrueret" etc., id est diabolo auferret, quam habebat, potestatem, qui videlicet timore mortis dominabatur universis. Quid est enim, quod homo, ut mortem

---

[a] Dominus] *inter lineas* [b] quia in—redimeret] *inter lineas et in margine*

[1122] Psalm. 15,8 [1123] Psalm. 17,3 [1124] Is. 8,18 [1125] Rom. 8,3 [1126] Gal. 4,5

[188*] Cf. notam 178*

evadat, non faciat, presertim cum etiam Deum neget mortis oppressus angustia, sicut de Petro legitur.[a] Unde diabolus, cum Job omnia abstulerit nec quicquam possessionis ei reliquerit, dixit Domino: Quicquid adhuc in eo factum est, nichil est.[b] Si enim camelos, si filios, si totam pecuniam amiserit, caro eius adhuc integra est. Sed sine me manum in eum mittere et videbis, si similis est ei in terra, quia in facie tibi resistit et ypocrihsis eius manifestabitur. Pellem enim propelle, id est membrum pro membro, et quicquid homo habet, dabit pro anima sua.[1127] Quod et in nobis ipsis tota die possumus experiri. Cum enim quis videt gladium desuper imminere, statim ad capitis defensionem manum exponit, sollicitior semper illud membrum custodire, quod ad vite conservationem credit esse necessarium. Si quis etiam super domum aliquam esset inimicis cum gladiis sequentibus et si certum mortis sibi immineret precipitium, deorsum tamen se mitteret, non ut mortem evaderet, sed ut vitam suam per tantillum spatium differret. Quo modo etiam si quem in navi existentem vellet quis occidere, ille quidem citius se daret in mare et in certum mortis periculum se poneret, quam ita se occidi permitteret. Hoc igitur mortis dominium, quam diabolus minabatur, removit Dominus per summum amorem in morte sua nobis exhibitum, ut amplius ex timore mortis nichil faciamus, sed ex amore totum.

Quod exponit dicens: "ut" videlicet "liberaret eos, qui timore" etc. id est, qui per totam vitam suam quodcumque peccatum incurrerent, ut mortem evaderent. Et hoc est "qui timore mortis", id est ex timore mortis, "per totam vitam suam", id est toto tempore vite sue, "obnoxii", id est obligati, "servituti", id est peccato, cuius servi erant. Qui enim vitio servit, vitii servus est. A qua servitute mors Christi nos liberavit.

"Nusquam enim". Dictum est, quod et qui sanctificat et qui sanctificantur ex uno omnes,[1128] id est eiusdem nature. Et

---

[a] sicut—legitur] *inter lineas* [b] est] *inter lineas*

[1127] Job 2,4 sq. [1128] Hebr. 2,11

vere eiusdem nature, quia Deus nec angelicam naturam nec aliam nisi humanam univit sibi in personam unam ad hominis redemptionem. Et hoc est, quia videlicet "nusquam" etc., id est nusquam legitur, quod angelicam naturam assumpmendo sibi in personam unam univerit, sed tantum humanam. Et hoc est "sed semen Abrahe apprehendit", id est naturam nostram ex semine Abrahe assumpsit et sibi univit in personam unam ad redimendum hominem.

"Unde". Quia videlicet nostram assumpsit naturam, "debuit" etiam, id est conveniens fuit, eum "similari", id est similem esse, "fratribus", id est ceteris fidelibus, "per omnia", id est in verbis et exemplis, ut videlicet non solum verbis predicaret, sed exemplo suo confirmaret, ut et ipse per passionem consumaretur et virtus eius probaretur, sicut et in Ysaia et Jeremia factum est, qui et verbis et exemplo passionis alios instruxerunt.

"Ut misericors". Debuit, dico, similari per omnia, "ut" ita moriendo "fieret misericors", id est daret nobis misericordiam suam, per illam videlicet hostiam redimendo nos a peccatis, "et pontifex fidelis ad Deum", id est talis, qui videlicet timore mortis a pontificatu suo non[a] desineret. "Ut repropitiaret". Et ad quid pontifex? Ad hoc videlicet, "ut" hostiam immolando "repropitiaret delicta populi", id est condonaret peccata nostra.

"In eo enim". Diceret aliquis: Habuitne pontifex iste, || in 168v
quo repropitiaret delicta populi et nobis propitius fieret?— Ita utique, quia in carne sua immolata, in qua et ipse passus est, quia secundum divinitatem nullam suscepit lesionem, potens est et nobis, qui affligimur, subvenire et in omni tribulatione confortare. Quid est enim, quod homo timeat in quocumque positus periculo, si passionem Domini in memoriam reducit. Hic est enim panis ille, qui contra pressuras quascumque cor hominis confirmat.[1129] Heę quippe sunt[b]

[a] non] *inter lineas* [b] sunt] *add.* sunt

[1129] Psalm. 103,15

exuvie, quas Helias Heliseo reliquit.[1130] Helias autem, cum ascenderit, pallium suum demisit discipulo, quo Jordanem percussit et aquis hinc et hinc divisis transivit.[1131] Ita et hostia ista, quam noster Helias nobis in terra reliquit, que est viaticum nostrum ad Deum, vestis illa, qua homo interior vestiri debet, est munimen et fortitudo nostra contra omnem impetum mundi et adversitatem quamcumque, ne victi subcumbamus.

Et hoc est, quia "in eo", id est in corpore pro nobis immolato, "in quo et ipse", videlicet pontifex, "passus est" offerendo "et temptatus", id est in quo et multas sustinuit afflictiones, "potens est auxiliari", id est prebere auxilium, illis, "qui temptantur". Temptationes appellat afflictiones istas temporales, quas modo diabolus ipse electis Dei infert, ut in Job factum est, modo per membra sua, que, si venerint, non est diffidendum, quia ut dicit beatus Jacobus apostolus, si in varias incideritis temptationes, ne desperetis.[1132]

[1130] 4 Reg. 2,13 [1131] 4 Reg. 3,14 [1132] Jac. 1,2

[CAP. 3]

"Unde". Quia videlicet talem habemus pontificem, tam potentem, "fratres facti" etc., id est, qui vocati estis, ut sitis illius vite eminentis, quam iam ipse habet, participes. "Considerate apostolum", id est dirigite oculos vestros ex toto in ipsum attendentes apostolum vestrum, qui tantus est, et hostiam passionis eius, propter quam ipse missus est a Deo. "Pontificem confessionis nostre", id est eum, quem nostrum confitemur episcopum et mediatorem ad Deum. Qui videlicet "fidelis" etc., id est in omnibus obediens. Obediens etiam, ut alibi apostolus dicit, usque ad mortem.[1133] "Et qui fecit illum", id est, qui creavit, "sicut Moyses fidelis in omni domo illius", id est per omnem tribum Israelitarum, qui primum populus Dei dicti sunt et quasi sedes Dei propria, apud quos et templum proprium habuit et cultus proprios. Ita et Christus fidelis fuit in omni ecclesia Dei tam gentium quam iudeorum, qui quasi diversi parietes in unum populum congregati sunt.

Que quidem ęcclesia primum incepit in Abel primo electo, deinde in multis sequacibus eius tam gentibus quam iudeis crevit sicuti Job, Abraham et prophetis. Et utraque a Christo fabricata est ęcclesia, que et una dicuntur ecclesia et diverse. Una autem secundum unitatem fidei, diverse vero pro diversitate terrarum sive populorum, sicut diversas terras dicimus et unam.

Et nota, quod Moysen maxime commemorat, quia hebreis scribit, qui illum habebant pro maximo, qui et de Christo scripsit dicens: Post me suscitabit vobis Dominus prophetam de gente vestra et, cum venerit, tamquam meipsum audietis.[1134] Caute autem dixit tamquam me, non plus quam me, quam pre illo audiendus sit. Populo enim dure cervicis loquebatur, qui quacumque occasione accepta facile diceret

[1133] Philipp. 2,8 [1134] Deut. 18,13

illi in facie:[a] De tua non curamus nos doctrina, quia meliorem expectabimus prophetam.

"Amplioris enim". Acsi diceret: Considerate, dixi, pontificem vestre confessionis, et merito, quia, si[b] Moyses, qui minister fuit in domo Domini, fuit audiendus illis, multo magis iste, qui domum ipsam fabricavit, cuius et ipse Dominus est, vobis audiendus est. Et hoc est, quia videlicet "iste" etc., id est tanto maioris glorie dignus habendus est iste pre Moyse, quanto videlicet maior honor exhibendus est de domo illi, qui eam fabricavit, quam illi, qui in ea tamquam famulus ministrat. Et hoc est "quanto ampliorem", id est maiorem honorem habere debet "domus", id est de domo, qui videlicet eam "fabricavit", id est fecit. Fabricare autem domum illam, id est ęcclesiam, non est aliud nisi fidem et dilectionem inspirare electis, per quam salvantur.

Sed queritur, quomodo homo ille, quem fidelem appellat, primitivam ecclesiam, que in tempore sinagoge incepit, fabricaverit, id est ei fidem et dilectionem inspiravit, cum constet eum non semper fuisse.

Philosophus: De persona, inquit, hoc dicit, quam fidelem vocat, pro homine assumpto, quem Deus creavit, que et eadem pro verbo fabricator dicitur, quod illam fabricavit ęcclesiam. Et ita loquendo de eadem persona dicendum est, quia et Christus fidelis est ei, qui eum fecit, et illius domus fabricator est. Veluti solemus dicere: Iste, qui albus est, multum sapiens est, cum tamen nichil, quod album sit, sapientiam habeat. Sed tale est, acsi dicatur: Corpus huius album est et anima illius sapiens est. Et bene ostendit Christum pre Moyse dignum habendum esse amplioris glorie, cum tale quid sit in persona illa, quod domum fabricavit, in qua Moyses ministravit tamquam famulus. Quod et nos sepe in commendationibus aliorum solemus facere, cum videlicet hominem homini preferre volumus, qui statim ad animas illorum recurrimus dicentes: Iste sapiens est,

---

[a] in facie] *inter lineas* [b] si] *inter lineas*

ille vero stultus est, id est anima istius sapiens est, illius vero stulta est.

"Omnis namque". Dixi: Fabricavit illam. Eam enim oportet fabricatam esse ab aliquo, quia "omnis domus ab aliquo fabricatur", id est componitur.

"Qui autem". Et vere amplioris glorie dignus habendus est, non solum quia eam fabricaverit, sed etiam quia ipse Christus, qui videlicet "omnia creavit, Deus est".

"Et Moyses". Acsi diceret: Ille amplioris glorie pre Moyse dignus habendus est; sed tamen Moyses aliquid erat, etsi non tantum valuerit. Et hoc est "et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius", sed tamen "tamquam[a] famulus in testimonium eorum", id est ad testificanda ea, que de Christo dicenda erant. De quo et ipse scripsit, ut supra meminimus, dicens: Suscitabo vobis prophetam de gente vestra et sicut me ipsum audietis.[1135] Omnes enim prophete de illo scripserunt, quia, ut beatus Petrus dicit apostolus, huic omnes prophete perhibent testimonium.

"Christus vero". Moyses fuit tamquam famulus in domo Dei, sed Christus "tanquam filius in domo sua", quia, si Patris, et sua. Que enim mea sunt, tua sunt, et que tua sunt, mea sunt. "Que" videlicet "domus" ab ipso fabricata "sumus nos", quibus fidem et dilectionem inspiravit. "Si fiduciam". Sumus, dico, si tamen "retineamus fiduciam", id est fidem, per quam de Deo confidendum est, "et gloriam spei", id est gloriosam spem. Est autem spes non gloriosa sicuti in illis, qui, cum spem habeant de vita illa eminenti assequenda, cotidie illam pravis operibus et perversis maculant. Illi vero spem gloriosam habent, qui eam cotidie bonis ornant operibus.

"Usque ad finem". Quasi dicat: Spei, dico, durantis "usque ad finem", quia in futuro sola erit agnitio, ubi, quod modo speramus, tunc videbimus, et, ubi visio est tantum, spes nulla est, quia, ut dicit apostolus: Spes autem, que videtur, non

---

[a] tanquam] *inter lineas*

[1135] Deut. 18,13

est spes. Nam quomodo sperat quis, quod videt.[1136] Spes enim de apparentibus non est, sed de non apparentibus. "Firmam". Retineamus, dico, et hoc "firmam", id est perseverantem.

"Quapropter". Quia videlicet tantus est pontifex iste noster, qui per passionem consumatus est, qui et in eo, in quo passus est et temptatus, potens est et eis, qui temptantur, auxiliari,[1137] cuius contemptum Deus tanto super contemptum ministrorum ponit, quanto ipse excellentior est. Ergo nolite obdurare corda vestra. Et hoc est "quapropter", id est qua de causa non sicut[a] ego dico, sed "sicut Spiritus Sanctus dicit", cui ex toto credendum est. Hoc ideo dicit, ut magis eos alliciat et verba ista maioris ponderis sint apud illos.

"Hodie", id est quamdiu hodie habetur, quod singulis diebus invenitur, quia, quicumque dies venerint, semper habemus hodie. "Si vocem eius audieritis", id est predicationem vel in persona sua vel in apostolis suis. "Nolite obdurare corda vestra", id est nolite habere corda vestra obdurata et obstinata, id est Deo resistentia, ne videlicet Deum exacerbetis obstinatione ita quidem sicut in illa "exacerbatione", quando videlicet patres nostri Deum exacerbaverunt. Deum autem, qui in se omnino dulcis est, facimus nobis amarum et eius dulcedinem in amaritudinem nobis convertimus, non quod ipse in se turbatus sit, qui nullum motum suscipere potest. Eum enim nobis amarum esse vel iratum esse vel exacerbatum esse, non est aliud nisi ipsum nostra punire peccata.

"Secundum diem temptationis", id est in tempore illo, in quo Deum temptaverunt. Temptare autem Deum est aliquod beneficium ab ipso postulare miraculo aliquo, cum tamen necessarium non sit. Et hoc maxime ad iactantiam sui et pompam vane glorie, ut magnus videatur in oculis hominum, ut ita possit dicere: Ecce expertus sum, quantum me diligit. Sicut illi lecatores faciebant quibus Deus cibum

[a] sicut] *inter lineas*

[1136] Rom. 8,24 sq. [1137] Hebr. 2,18

illum dederat, qui, quem vellent, daret eis saporem. Dicebant tamen: Numquid poterit nobis dare panem ad manducandum.[1138] Item temptare est ad iactantiam sui in aliquod se ponere periculum confisum, ut miraculo aliquo Deus eum liberet; vel etiam, cum quis in periculo positus sit, a Deo requirere se ad gloriam vanam aliquo liberari miraculo, cum ipse tamen per se ipsum possit evadere. Christus autem temptatus a diabolo et in pinna templi statutus, etsi posset se deorsum miraculo aliquo mittere, non tamen misit dicente diabolo: Si filius Dei es, mitte te deorsum,[1139] acsi diceret: Quam magnam gloriam posses assequi, si his omnibus videntibus miraculo aliquo te deorsum mitteres.

Et hoc "in deserto", id est in loco tam aspero, ubi potius ei supplicandum esset, quam temptatione et obstinatione eum exasperare. "Ubi", id est in quo deserto tamen "temptaverunt me", ut expositum est, "patres vestri", id est maiores vestri.

"Probaverunt", id est experti sunt, "et viderunt", id est per visum experti sunt, cui sensui plurimum creditur, "opera mea", id est in beneficiis et in vindictis. Et hoc "quadraginta annis".

"Propter quod", quia videlicet ita obdurati, ita obstinati exacerbaverunt me, temptaverunt me. "Infensus fui", id est iratus fui, "huic generationi", id est || huic populo dure 169r
cervicis. Eum autem illis infensum esse non est nisi illos punivisse, qui per milia in deserto prostrati sunt.

"Et dixi semper", id est eos semper increpavi, ut ab obstinatione desisterent, dicens, quia hi "errant corde", id est in corde errorem habent non intelligentes legem Dei, qui ex toto in[a] exterioribus occupati sunt, de domestico sacrificio, quod Deo placet, nichil attendentes. Esau enim foras exiens de exterioribus patrem suum refecit. Jacob vero de interioribus patri suo refectionem preparavit, quia Deo vota tua reddes nec te quesiveris extra. De quo iudei quicquam non cogitant, qui ita exterioribus attenti operibus, dicere etiam

[a] in] *inter lineas*

[1138] Psalm. 77,20 [1139] Matth. 4,6

presumunt, ut videlicet quantacumque lateat in mente iniquitas, si exteriora, que sanat legis littera, custodierint, nichil sit eis dampnationis, sed et ipsi salutem assequentur et ideo in eis super[a] omnes error est.

Et nota, quod supradictum semper poterit variati hoc modo: et ego dixi, quod videlicet hii semper errant corde, quia in omni tempore in isto fuerunt legis errore.

"Ipsi autem". Et vere errant, quia "non cognoverunt", id est noluerunt attendere"vias meas", id est precepta mea, que eis dedi, que sunt quedam vie veniendi ad me, vel Christum, qui est via, qua ad me venitur.

"Quibus", ita videlicet exacerbantibus me nec michi adquiescentibus "iuravit", id est firmiter stabilivi, "in ira mea", id est[b] quia me comoverunt ad iram. Et quid iuravi? Quod videlicet, "si introibunt in requiem meam", id est non introibunt in requiem meam, id est in terram promissionis, in quam nulli preter paucos ingressi sunt. Hec autem littere defectio est maxima sententie perfectio, quale est illud, ut supra meminimus: Si David mentiar, semen eius in eternum manebit.[1140]

"Videte". Acsi diceret: Exemplo istorum providete vobis, ne sicut illi obstinatione sua penam incurrerunt, ita et vos penam a Deo incurratis, qui non solum corpus in potestate habet, sed et animam in gehennam mittere potest.[1141] Et hoc est "videte", id est providete vobis, fratres, exemplo istorum.

"Ne" videlicet "forte in aliquo" etc. Non dicit, ut sibi provideant, sed ut unusquisque de altero cogitet semper ex caritate de salute fratris sollicitus, quia caritas ad se non est, sed ad alterum, que non querit, que sua sunt,[1142] sed que alterius. Et hoc est "ne forte" etc., quasi dicat: Non dico, ne in vobis sit, sed nec etiam, "in aliquo vestrum sit cor malum incredulitatis", id est cor incredulum, quod malum est.

---

[a] super]*supra deletum* semper [b] id est]*inter lineas*

[1140] Psalm. 88,36 sq. [1141] Cf. Matth. 10,28 [1142] 1 Cor. 13,5

"Discedendi". Bene dicit: Discedendi a Deo, qui nos potius a Deo discedimus quam ipse a nobis, quem nos fugimus, et ipse quidem nos fugientes sequitur, sicuti Paulum secutus est, quem tandem fugientem apprehendit.

"Sed adortamini". Cor incredulitatis non sit in aliquo vestrum, sed potius "adortamni", id est alter alterum exortetur singulis diebus, "donec hodie", id est quamdiu hodie est, quod quibuscumque diebus consequentibus semper habemus. Non enim heri neque cras neque alium diem habemus, sed semper hodie. Et ab hoc loco fortasse sumptum fuit illud curiale, quod dicitur: Hodie cum pretio, cras sine pretio. Nec dicit: Donec hodie nominatur, sed donec cognominatur,[a] id est quamdium in consecutione dierum habetur hodie. Quicumque enim dies consequitur, semper hodie appellatur, non heri neque cras.

"Ut non obduretur". Adortamini, dico, "ut non" etc., id est ut aliquis vestrum in obdurationem non veniat in correctione peccati deceptus. Nonnulli enim sunt, qui promittunt sibi longa tempora et de peccatis suis corrigendis proponunt sibi diem correctionis dicentes apud se: Ego adhuc iuvenis sum et istud satis potero corrigere. Qui ita deceptus spe correctionis securius peccat et funem funi ligat, ut magnam vestem faciat. De quibus dicit Ysayas: Ve vobis, qui in funiculis trahitis peccata.[1143] Hii enim massam plumbi in collo suo ligant, in quibus per pravam consuetudinem peccatum est quasi altera natura, quod amplius facile non poterunt expellere. Sic enim est de peccato, ut beatus dicit Jeronimus, sicut de rege quolibet. Rex quippe in regnum noviter constitutus, facile a regno expelli potest, sicut de Roboam fuit. In regno vero postquam confirmatus est et castella omnia et munitiones omnes in sua habet potestate, non est, qui eum facile a regno queat dimovere. Ad hunc quidem modum de peccato est, quod, dum novum est et tantum hospitium habet, facile expellitur. Cum vero regnum

---

[a] cognominatur] cogminatur

[1143] Is. 5,18

habet et consuetudine perversa confirmatum est, a iugo illius non amplius homo se facile poterit liberare.

Et hoc est "ut non obduretur" etc., id est, ut non in obstinationem veniatis promittendo vobis longa tempora, quasi satis sit vobis in futuro peccata vestra corrigere proponendo vobis diem correctionis et ita decipiamini.

Sed queritur, an aliquis ita debeat proponere, ut videlicet quandoque a peccatis suis resipiscere proponat.

Philosophus: Nemo, inquit, hoc debet proponere, quia hoc propositum pessimum est. In spe enim peccat, qui ita proponit, et maledictus omnis, qui peccat in spe.

"Participes enim". Providete, dico, ne forte in aliquo vestrum sit cor malum incredulitatis. Et debetis, quia deterius peccaretis, si post cognitionem veritatis a veritate recederetis, quam veritate ignorata in cecitate persisteretis. Melius est enim, ut beatus Petrus dicit apostolus, viam veritatis non agnoscere quam post agnitam restrorsum abire.[1144]

Et hoc est, quia "effecti sumus participes Christi", id est corporis Christi, cuius membra sumus coherentes ei per dilectionem. "Si tamen". Participes, dico, "si tamen retineamus initium substantie eius", id est fidem, que est initium omnium bonorum. Primum enim oportet fidelem in fide[a] fundari, ut ita ad spem, deinde ad caritatem veniat. Et ideo initium dicitur, quia ab ipsa cetera habent exordium. Et initium substantie eius, quia per fidem in Christo subsistere habemus. Fides enim, ut inferius dicturus est apostolus, est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.[1145] Et hoc "usque ad finem", quia tunc agnitio erit, et, quod modo credimus, tunc, sicuti est, apparebit. Et ita peribit fides, que non est nisi de non apparentibus. "Firmum", id est perseveremus.

"Dum dicitur: Hodie". Item suum hodie repetit, acsi diceret: Retineamus initium substantie eius, "dum dicitur: Hodie", id est, quamdiu dicitur: Hodie, "si vocem eius audieritis" etc., ut supra expositum est.

[a] in fide] *inter lineas*

[1144] 2 Petr. 2,21 [1145] Hebr. 11,1

"Quidam enim". Et bene dicit: Quemadmodum[a] in illa exacerbatione, quia tunc quidam "audientes", verbum videlicet Domini, "exacerbaverunt", id est Deum, qui in se dulcis est, temptando eum converterunt sibi in amaritudinem. "Sed non universi". Audientes exacerbaverunt, sed tamen "non universi", id est non omnes, "qui profecti", id est, qui egressi sunt ab Egipto duce Moyse.

"Quibus autem". Probat, quod quidam exacerbaverunt per penas, que subsecute sunt, et probationem sub questione ponit, acsi diceret: Et vere exacerbaverunt quidam, quia in illis quadraginta annis, "quibus infensus est", id est quibus iratus est Dominus.

"Nonne illis" etc. Revera illis, quorum corpora in deserto avibus et bestiis exposita sunt. Unde dicebant: Deerant nobis sepulcra in Egipto, quod hic Dominus tam viliter nos interficeret.[1146]

"Quibus autem". Causam subnectit, quare infensus fuerit eis Deus. Quia videlicet increduli fuerunt.

Continuatio: Infensus est illis, sed de hoc, id est propter incredulitatem. Et hoc est "sed quibus iuravit" etc., id est, de quibus firmiter stabilivit, ut in requiem, quam promisit populo illi, non introirent, "nisi de illis, qui" etc. Acsi diceret: Non est offensus illis, nisi, quia increduli fuerunt, id est propter incredulitatem. Istud enim *qui* causativum est potius quam relativum, quale est illud: Si vos diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis,[1147] id est, si diligitis eos, quia vos diligunt. Matrem enim Domini sive Petrum, qui me diligunt, diligere debeo, sed non, quia me diligunt, in hoc videlicet finem ponens.

"Et videmus". Quasi dicat: Et bene dixi, quia propter incredulitatem iuravit eis non introire in requiem ipsius, quia "et", id est etiam, "videmus" modo, id est nos cognoscimus, quia videlicet "non potuerunt" etc., id est in terram illam, quam pollicitus est eis Deus.

---

[a] quemadmodum] *inter lineas*

[1146] Exod. 14,11 [1147] Matth. 5,46

[Cap. 4]

"Timeamus" igitur. Quia videlicet illi propter incredulitatem non introierunt in requiem illam non adquiescentes verbis divinis, que audierunt, igitur timendum est nobis, quibus requies celestis Jerusalem promissa est, ne in eam propter incredulitatem introeamus, si verbis Dei, que audivimus, non adquieverimus.

Et hoc est "timeamus" igitur, "ne" videlicet "forte relicta pollicitatione" etc. Ille relinquit pollicitationem, qui ea contempnit facere, per que ad illam requiem possit venire. "In requiem eius", id est, in qua et ipse est et quam nobis promittit, quia ubi ego sum, illic et minister meus erit.[1148]

"Existimetur". Non dicit, ne aliquis introeat, sed nec etiam existimetur non introire, ut videlicet talia faciamus, quod alii de nobis bonam habeant existimationem nec habeant, unde male ne nobis existiment. Sed econtra dicant, quia revera isti introibunt, ut ita exemplo nostro alios etiam invitemus.

"Etenim et nobis". Bene dixi: Pollicitatione. "Etenim", id est, quia etiam nobis "nuntiatum est", id est promissum est, "quemadmodum illis", id est promissio facta est nobis de requie illa celestis Jerusalem sicut et illis de terra illa, que promissa est eis a Domino.

"Sed non". Illis nuntiatum est, sed tamen non profuit eis, quia, etsi audirent, non exaudierunt. Et hoc est "sed non profuit illis sermo auditus", id est sermo, quem audierunt. Et quare? Propter incredulitatem. Et hoc est sermo, dico, "non admistus fidei" etc., id est, quia non adquieverunt illis, que audierunt.

"Ingrediemur enim". Diceret aliquis: Et quare dicis: non profuit illis et non nobis. Quia nos revera, "qui credidi-

---

[1148] Joh. 12,26

mus", id est, qui iamdudum verbis Dei assensimus, "ingrediemur", id est in illam requiem intrabimus. "Quemadmodum dixit". Vere non profuit, "quemadmodum", id est sicut Dominus nuntiavit per prophetam dicens: "Sicut iuravi" etc. Supra positum est quibus iuravi.[1149] Apostolus enim, sive Lucas, qui sententias huius epistole, ut aiunt, in unum collegit, diversas secutus est translationes, quia, cum unius translationis verba aliquantulum sint obscura, alterius quidem multo sunt pleniora, ut illa, que planior est, obscurioris etiam possit esse expositio. Unde et iudei, cum in lege sua de aliquo dubitent, ad caldaicum recurrunt. Lex enim illa a quodam illorum ita in caldaicum proprie translatum fuit, quod id, quod lex in se obscurum habet, caldaicum ex toto elucidat. Et ideo nulli, qui || in lege valeant, expertes 169v
inveniuntur caldaici. Ita quoque Romana ęcclesia aliam translationem habet de psalterio et aliam gallicana. Ubi enim nos dicimus: Offensus fui,[1150] Romani dicunt: Proximus fui. Et, cum dicatur: Si introibunt in requiem meam, nota secundum apostolum non solum de requie Palestine, sed et de requie eterna nobis promissa per illam significata intelligendum esse, quia et de utraque requie exclusi sunt illi.

"Et quidem". Acsi diceret: Nec in requiem illius terre introierunt nec in requiem significatam per illam, et non solum significatam per illam, sed etiam in Moyse per diem septimam, in qua Deus suis operibus perfectis dicitur quievisse. Est autem et sexta et septima, ut beatus dicit Gregorius,[1151] et octava, dicens, quod Christus in sexta feria passus est et nos quidem in sexta sumus etate in extrema parte mundi, in quos fines seculi devenerunt, id est[a] non solum finis seculi, sed et[b] consumatio omnium bonorum, que de nostra promissa sunt salute, quam consumationem in sexta futuram etate rerum corporearum, quam in sex diebus operatus est Domi-

[a] id est] *inter lineas* [b] et] *inter lineas*

[1149] Hebr. 3,18 [1150] Psalm. 94,10 [1151] Gregorius, *Homiliarum in Ezechielem lib.* 2 hom. 4 n. 2 (PL 76,973)

nus, consumatio figurabat, de qua et ipse ait: Consumatum est.[1152] Passo igitur Christo in sexta feria et nos pro Christo in hac sexta etate passionibus debemus et afflictionibus subiacere, ut tandem finitis laboribus et consumatis anime nostre ad septimam, id est ad requiem ęternam, transeant, quia et Christus in septima feria in sepulcro requievit. In octava vero resurrexit, quia septimam sequetur octava, quando videlicet anime fidelium resumptis in fine mundi[a] corporibus cum Christo in perpetuum requiescent.

Litteram sic lege: "et quidem", subaudis, significatam per septimam videlicet diem, "operibus Dei" in sexta quidem die "ab institutione", id est a principio mundi "perfectis", id est consumatis.

"Dixit enim". Et vere significatam, quia quidam vobis notus "dixit quodam" scripture videlicet "loco[1153] de die septima", per quam significabatur requies illa, "sic", id est hoc modo: "Et requievit" etc. Et non solum in Moyse significatur, sed etiam "in isto", id est in David[1154] rursum, cum ait: "si introibunt in requiem meam". Et cum iam[b] hanc sepius[c] induxerit auctoritatem, non fuit ad hoc inducta, ut ostenderet, quod per requiem illam nostra significaretur requies.[d] Et ita apparet, quod apostolus intelligit non solum eos in requiem illam non introisse, sed nec in requiem significatam per illam.

"Quoniam ergo" etc. De illa adhuc requie loquitur, que fidelibus promissa est et in testimonio Moysi et in testimonio David. Et quia electis promissa est et illi priores non introierunt, superest quosdam introire. Et "quoniam superest quosdam" etc., et "hi, quibus prioribus annuntiatum", id est promissum est, de requie "non introierunt", nec in illam nec in significatam per illam. Et hoc "propter incredulitatem", id est quia increduli extiterunt.

Ergo "iterum", Spiritus videlicet Sanctus, "terminat", id est distinguit, "diem quemdam", id est tempus quoddam egre-

---

[a] mundi] *inter lineas* [b] iam] *inter lineas* [c] sepius] *inter lineas*
[d] requies] *correctum ex* requiem

[1152] Joh. 19,30 [1153] Gen. 2,2 [1154] Psalm. 94,11

gium, ceteris omnibus temporibus multo excellentius. Terminat, dico, "dicendo hodie in David",[1155] ut in sequenti monstrat versiculo. Et hoc "post tantum temporis", quia David, qui quasi de tempore gratie fuit, fuit quidem multo tempore post sive divinorum operum consumationem ab initio mundi, sive post introductionem paucorum filiorum Israel per Josue in terram promissionis. Moyses enim maximus eorum propheta in deserto etiam cum ceteris mortuus est et Aaron similiter.

"Sicut supra dictum". Dicendo, dico, hodie in David ita quidem, "sicut supra dictum est", hoc modo: "Hodie si vocem eius audieritis, nolite" etc., id est, ne imitemini obdurationem illorum. Per hodie designatur tempus nostre illuminationis, in quo non dampnatur quis, nisi pro propria culpa, sicut in prioribus temporibus. Unde propheta: Patres nostri comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupescunt. Vivo autem ego, dicit Dominus, si ultra erit proverbium hoc in Israel, et filius non portabit iniquitatem patris.[1156] In hoc enim tempore nostre visitationis, de quo id dictum est, non dampnabimur nisi pro culpis propriis. In quo etiam tempore si quis iustus moritur, sine omni dilatione transit ad regnum, quia omne repagulum et omnis sera fracta est.

Sed, si queritur, quare Deus ante hoc tempus ianuam celi non reseraverit, possumus dicere, quia de singulis non habemus reddere causas nisi dicamus, quod hoc adventui Filii, sui, ut commendabilior [appareat] reservatur.[a]

"Nam si eis" etc. Et bene dixi: Terminat quendam diem, quia "si Jhesus", quem nos Josue secundum Grecos dicimus, qui noncupative Jhesus dictus est, non utique in re, prefigurans nostrum Jhesum, qui vere Jhesus est, id est salvator. Si, inquam, Jhesus ille "eis", quos videlicet superest introire, illam "requiem prestitisset", quod quidem non fecit, qui nec sibi eam prestitit, quia et Josue ipse et magister

[a] quia omne—reservatur] *in margine*

[1155] Psalm. 94,8 [1156] Ezech. 18,2 sq.

eius Moyses ibant ad inferos. Si, inquam, ille prestitisset, numquam Spiritus Sanctus "de alio", videlicet die, "loqueretur post" dicendo in David: "hac die", id est hodie. Quia, si ille in requiem illam introduxisset, non esset adventus Christi necessarius.

Et nota, quod, cum in David ea, que precedunt, ad populum, qui in deserto periit, pertineant et subiungatur: Hodie, si vocem eius audieritis,[1157] quod etiam de eodem versu videtur esse, et ita per hodie diem ingressionis in terram illam significari, ne tamen perturberis, quod tempus Christi per hodie ibi significatum est.

"Itaque". Acsi diceret: Et quia Spiritus Sanctus, qui non mentitur, distinguit quandam diem, et inde manifestum est quosdam superesse, qui intrabunt, cum illi propter incredulitatem non introierunt. Itaque "sabbatismus", id est requies illa, que sursum est, "reliquitur populo Dei", id est electis Dei.

Et quare per sabbatismum a sabbato dictum illam significas requiem? Ideo quidem et per hanc similitudinem, quia videlicet "qui ingressus est", id est, qui introductus est, "in requiem eius, etiam ipse requiescet ab operibus suis", id est a laboribus suis, "sicut Deus", die videlicet septima, requievit "a suis" operibus.

"Festinemus ergo". Quia videlicet Spiritum Sanctum adortatorem habemus, qui nos suis adortationibus vocat, et quia nulla regni dilatio est, igitur "festinemus" etc. Tanto enim maiori desiderio debemus accendi, ut properemus, quanto scimus paratius esse nobis regnum. Nonnulli tamen dicunt: Ego iuvenis sum. Satis adhuc potero vitam meam corrigere et ad requiem illam venire. Sed Salomon dicit, quod quicquid manus tua potest instanter facere, non differat.[1158] Et hoc est "festinemus", id est properemus, "ingredi", id est intrare, "in illam requiem" semper providentes, "ut" videlicet "ne quis", id est aliquis, "incidat", id est labatur, "in idipsum" etc., id est in eandem ipsam incredulitatem exemplo priorum, in quam et ipsi inciderunt.

[1157] Psalm. 94,8 [1158] Eccle. 9,10

"Vivus est enim". Dixi: Festinemus et bene, tum quia Filius Dei paratus est misereri et condonare nobis, tum quia potens est facere, quicquid voluerit, potens omnem suum ulcisci contemptum, ut tum terrore saltem considerantes eius potentiam, tum amore attendentes eius benignitatem, quantum possumus, ad ipsum anhelemus. Si enim, ut supra meminimus, istum, qui omnibus maior est, contempserimus, cum Deus tam graviter hominum vel angelorum contemptum puniverit, quid faciet de contemptu Filii sui? Et primum potentiam illius monstrat, deinde, quam circa nos habet, benignitatem.

Et hoc est, quia "sermo", id est Filius Dei, Christus videlicet. Unde in Sapientia dicitur, quia sermo a regalibus sedibus venit.[1159]

"Vivus est", id est indeficiens, ab omni defectu alienus, qui amplius non morietur, quia iam vivit et ultra non moritur. Et ideo, quia permanens est, magis verendus est," et efficax", id est potens perficere, quicquid voluerit. "Et penetrabilior omni gladio ancipiti". Gladius anceps est, qui ex utraque incidit parte. Et est tale, acsi dicatur: Acutior omni humano ingenio, quia videt ubi homo non videt, quem nichil latere potest, perspector renum et cordium,[1160] ut iam dicet. Et cum eum nichil lateat, tanto amplius timendus est ad modum cuiuslibet regis, qui, si ita potens esset, quod posset facere, quicquid vellet, et talis iterum esset, quod non lateret eum, quicquid homines de eo loquerentur, magis utique vererentur eum homines.

"Et pertingens usque ad divisionem anime et spiritus", id est perfectam habens notitiam, quis videlicet homo sit animalis et quis spiritalis. Et quia utrumque ad animam pertinet, subiungit de corpore, cuius nichil est quantumcumque intimum, quod eum lateat, quia et compages et medullas ipse discernit. Et hoc est "compagum", acsi diceret: Et non discretor animarum est, sed etiam "compagum", id est iuncturarum, que sunt in substantia corporea, et "medullarum", que in ossibus ipsis occulta sunt, "discretor est", id est ea

[1159] Sap. 18,15 [1160] Psalm. 7,10; Jerem. 11,20

etiam, que interiora sunt et secretiora in corporea substantia, eum[a] non latent, qui omnia ex toto comprehendit.

"Cogitationum et intentionum cordis". Expositio est anime ac spiritus, quia ipse discernit et cogitationes et, quod multo plus est, cordis intentiones. Et hoc est "discretor cogitationum", id est omnino cognoscit cogitationes hominum et que etiam intentio sit ipsorum, id est, ad quem finem tendant, sive videlicet fiant propter Deum vel non. Et hoc est, quod supponit "et intentionem cordis", id est, qua intentione ille etiam fiant cogitationes. Veluti orator, cum manu accipiat aliquem defendere in causa, cogitat, que in defensione illius conveniat dici. Quarum cogitationum omnium intentio, id est finis, nummus est, quem intendit habere ab illo, quem defendit.

"Et non est" etc. Quasi dicat: Et quid irem per singula, quia "non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius", id est, de qua perfectam notitiam non habeat.

"Omnia autem". Et vere non est aliqua creatura, quia "omnia nuda" etc. id est universa plene ipsi cognita sunt et omnia patent visui ipsius. "Ad quem" etc., id est, cui Filio Dei, qui talis est, tantus est, habemus reddere de nobis rationem in die illa iuxta illud: Et de propriis factis rationem
170r reddere,[1161] quod non est aliud nisi unum || quemque accipere, quod Deo dare convenit.

"Habentes ergo". Ostensa nostri mediatoris potentia[b] ostendit, quam pronus sit nobis subvenire.
Continuatio: Et non solum habentes tam potentem, tam sapientem mediatorem, sed etiam "habentes pontificem magnum", id est ceteris omnibus excellentiorem, qui videlicet "penetravit celos", id est penetrando proprio corpore et sibi et nobis aperuit.

Et quem habemus pontificem? "Jhesum" quidem, qui vere salvator noster est, "Filium" etiam "Dei" consubstantialem. Et habentes, inquam, talem pontificem, "ergo teneamus",

[a] corporea—eum] *inter lineas* [b] potentia] potentiam

[1161] Rom. 14,12

id est firmiter custodiamus, "confessionem", id est id, quod in baptismate confessi sumus.

"Non enim". Teneamus, dico, et merito, quia nos "non habemus pontificem", quamvis tantum habeamus pontificem, qui videlicet "non possit" etc., id est, qui non sit pronus ad miserendum et condonandum nobis nostras attendendo infirmitates, quas et ipse in proprio corpore expertus est. Ideoque Pater Filio omne dedit iudicium,[1162] quia filius hominis est, qui ex assumpta humanitate nostre[a] multo amplius condescendit infirmitati, que quanta sit, in propria carne experiri non renuit. Et hoc quidem est, quod sancti dixerunt astruentes diabolum redemptione minime dignum fuisse, qui multo fortioris et firmioris nature, quam homo, ex solo vitio, cui sponte adquievit, nullo cogente transgressus est. Homo vero et maxime postquam a paradiso eiectus est, omnibus subiectus est miseriis, esuriei, siti et nuditati et similibus, que sunt fomes peccati. Ex quibus cogitur homo, ut, cum de suo non habeat, unde horum stimulorum resistat vehementie, suppleat de alieno. Et ideo, cum homo multo sit nature imbecillioris et longe inferioris, potius ad hominis redemptionem missus est incarnari Dei Filius, qui ex ipsa carne pronus est nostri misereri, nobis nostra condonare delicta pro nostris infirmitatibus, quas et ipse, ut diximus, in se expertus est. Et hoc est "non habemus pontificem" etc., ut expositum est.

Et quod eas expertus sit, subiungit: "temptatum autem per omnia", id est diductum per omnes temptationes, de quibus alius apostolus: Cum incideritis in varias temptationes, id est in crebras passibilitates istas, quas Christus sustinuit vehementiores, nec tamen tractus est ad consensum, in quo Verbum homini unitum in personam unam ei presidebat, qui ita peccare non potuit. Et hoc est "temptatum per omnia". Et hoc "pro similitudine", id est ex carnis infirmitate, qua nobis similis factus est, sed tamen om-

[a] nostre] *inter lineas*

[1162] Joh. 5,22

nino "absque peccato", id est usque ad consensum tractus non est, quamvis ceteris omnibus vehementius temptatus.

Queritur, si ex libidine, que plurimum dominatur homini, temptationem senserit.

Philosophus: Ita quidem. Super illum enim locum: et renes mei increpuerunt usque ad mortem,[1163] astruit beatus Jeronimus,[1164] quod incentiva libidinis in eo erant, quemadmodum in ceteris electis. Et credo, inquit, vehementiora, ut, quanto ad maiorem ei pugnam esset, tanto appareret gloriosior.

"Adeamus ergo". Quia videlicet talem habemus pontificem, qui nostris compatitur infirmitatibus, qui et eas in se expertus est, ergo "adeamus" etc. Hic habundat prepositio. Sicut enim coniunctiones quandoque sunt expletive, ita et sepe prepositiones. Litteram tamen[a] expone ita: "Adeamus", id est properemus, "ad tronum", id est ad sedem illam, hoc est ad Christum, cui Spiritus Sanctus specialiter insidet per plenitudinem donorum, iuxta illud alibi apostoli: Si consurrexistis cum Christo, querite, que sursum sunt, ubi Christus sedet in dextera Dei Patris,[1165] quem et tronum gratie, id est plenitudinis gratie appellat, quia omnem illam donorum plenitudinem sine meritis habuit prevenientibus. Quippe ex quo fuit, eam plenitudinem veluti spiritum timoris, spiritum sapientie et cetera illum habere constat.[1166]

Adeamus, dico, et hoc "cum fiducia", id est fiducialiter, "ut" ita quidem "misericordiam consequamur", id est requiem, ubi ipse est, assequamur per misericordiam precedentem in nobis, cum videlicet fidem preimpertiverit, deinde spem, tandem dilectionem, qua sola meremur.

"Et gratiam", id est aliquod donum supra merita, ibi "inveniamus", id est nobis a Deo impendatur, quia non sunt

[a] tamen] *inter lineas*

[1163] Psalm. 15,7 [1164] *Breviarium in psalmos.* Psalmus 15 (PL 26, 908): "Insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei." Delectationes carnales tunc me increpant, quando michi suggerunt, ut peccem, quando delectatur caro. Sed nisi tu fuisses a dextris, forsitan infirmarer. [1165] Col. 3,1 [1166] Is. 11,2

condigne, ut idem asserit apostolus, passiones huius temporis ad futuram gloria, que revelabitur in nobis; presertim cum semper Deus in premio aliquid superaddit, sicut et in pena de pena aliquid demit.

"In auxilio". Acsi diceret: Etsi tronum illum glorie viribus nostris adire non possumus, adeamus tamen "in auxilio", id est per auxilium illius, quod oportunum est, id est presto semper in his, que oportune postulantur. Ipse enim semper oportunus est ad iuvandum, ad miserendum. Nos vero nonnunquam non oportuni sumus in postulando, sicut etiam apostolus fuit, quem, quod postulavit, minime assecuturum decuit.

[Cap. 5]

"Omnis namque". Dixi: Adeamus cum fiducia, de quo utique confidendum est, quia "omnis pontifex", a minori, "assumptus", id est electus, "ex hominibus", sicuti purus homo, "pro hominibus constituitur", id est in pontificem promovetur ad utilitatem hominum, et hoc "in his, que", id est, que ad Deum spectant, "ut" videlicet "offerat" Deo "dona", quantum ad preces, "et sacrificia", quantum ad hostias, et hoc "pro peccatis", subaudis, remittendis.

Sed queritur, quomodo in his hostiis remittantur peccata.

Philosophus: Ita quidem, quod videlicet homo iste pro hoc peccato non amplius gehennam incurret, non quod omnis pena relaxetur, sed multe restant purgatorie. Obicitur non bene dictum esse, quod gehennam non incurret, quia pro illo peccato gehennam non meruit nec gehenna dignus fuit, cum videlicet contemptus ille eternus non fuerit.

Philosophus: Imo gehennam meruit, quamvis et contemptus fuerit temporalis, quia in hoc peccato existens in statu fuit[a] tali, in quo gehenna dignus fuit et in quo moriens dampnaretur, sicut de omni eo est, qui in aliquo existit criminali.

Ad quod obicitur,[189*] quod similiter de dampnando, qui ad tempus iustitiam habet, potest dici, quod in tali statu quandoque est, in quo dignus est vita eterna, et vitam ęternam meruit et in quo moriens salvaretur.

Philosophus: Nichil, inquit, verius est. Et cum vitam ęternam meruerit et a Deo, sicut in ceteris solet astruere, Deus tamen[b] non debet et dare, quia id facere sue non convenit dignitati.

[a] fuit] *in margine* [b] tamen] *inter lineas*

[189*] Cf. Abaelard., *Ethica* c. 21 (PL 178,666C sqq.)

Queritur, si istum iustum, qui ad tempus iustus est et qui tamen dampnandus est, diligat Deus.

Philosophus: Nequaquam, quia Deum[190*] diligere aliquem non est nisi illum ad vitam disponere. Et sic habemus, quod nec omnem iustum diligit Deus nec omnem iniustum odio habet.

"Qui condolere". Constituitur, dico, pro hominibus et talis, qui videlicet "possit condolere", id est pronus sit ad compatiendum, hoc est per compassionem pronus ad orandum et pro his, "qui ignorant", id est qui peccant, et, cum peccent, memorie non occurrit.[191*] Et pro his similiter, "qui errant", id est, qui scienter exorbitant non dimittentes propter Deum, etsi occurrat memorie.

"Quoniam et ipse". Dixi: Qui possit condolere. Et potest quidem, quia "et ipse circumdatus" est. De Christo non dixit circumdatus, sed ex carnis infirmitate per omnia temptatus, nec tamen pertractus usque ad consensum. Sed iste infirmitate circumdatus est, quia ex carnis infirmitate nonnumquam ad consensum trahitur. Et hoc est "quoniam et ipse" etc., id est in se infirmitatem aliorum experitur, quemadmodum Christus, et ita, quod nonnumquam in peccatum prorumpit, in quo a Christo se iungitur.

"Et propterea", quia videlicet infirmitate circumdatus est, "debet" etc., id est ei necessarium est ita pro se ipso oblationem facere ad peccatorum remissionem sicut et pro populo.

"Nec quisquam". Bene dixi: Assumptus ex hominibus constituitur, quia nemo debet honorem sumere, ut pontificetur[a] sibi, id est ad gloriam sui, sed, qui sumit, sumere debet Deo vocante sicut "Aaron, qui vocatur a Deo" in honorem per miraculum, quod de virga contra emulos fecit.

---

[a] ut pontificetur] *in margine*

[190*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom. lib.* 5 c. 13 (PL 178,949C); *Sent. Herm.* c. 32 (PL 178,1748B sq.); *Sent. Rol.* 316 sq.
[191*] Abaelard., *Ethica* c. 15 (PL 178,658C); *Sent. Herm.* c. 33 (PL 178,1753D).

Nota, quod episcopus fieri non[a] debet sine electione cleri, nisi Deus tam manifestum fecerit miraculum pro aliquo, qui, si nullo eligente[b] sumeret honorem, posset quidem stare.

"Sic et Christus". Dixi: Non quisquam sumit sibi honorem.
170v Et bene, || quia ita "et Christus" etc., id est non se manifestavit, nec[c] gloriam suam quesivit, ut pontifex esset, quia, ut ipse dixit: Non veni gloriam meam querere, sed eius, qui misit me, Patris.[1167] Ipse enim semper gloriam Patris querebat et honorem, et Pater econtra semper de gloria illius et honore providebat. Unde loquens ad Patrem non dixit: Clarifica me, sed clarifica nomen tuum.[1168] Cui Pater: Clarificavi et iterum clarificabo.[1169] Acsi diceret: Clarificavi quidem in factis et rursus clarificabo in gloria resurrectionis et ascensionis.

Et hoc est "non semetipsum clarificavit, ut" videlicet "pontifex fieret". Immo ille, id est Pater, clarificavit eum, qui videlicet "locutus est ad eum" ita: "Filius meus es tu" etc., ut expositum est supra.

"Quemadmodum". Acsi diceret: Ita hoc dixit ad commendationem sicut et alibi de eodem "dicit" per eundem prophetam:[1170] "Tu es sacerdos in eternum", quia sacerdotium tuum ęternum est et ei aliud non succedet sacerdotium. Sacerdos, dico, et hoc non secundum ordinem Aaron vel secundum ordinem Levi, sed "secundum ordinem" geminum videlicet "Melchisedech", qui fuit rex et sacerdos. Secundum ritum enim sacrificiorum illius sacerdos fuit, quia illas species, quas Melchisedech in suo instituit sacrificio, easdem Christus in suo retinet, panem videlicet et vinum. Et sicut ille rex fuit simul et sacerdos, ita et Christus, qui bene regit suos, pro quibus ipse sacerdos perpetuus orat etiam in perpetuum, quia cotidie ex presentia sue humanitatis interpellat Patrem pro nobis.[1171]

"Qui in diebus". Diceret aliquis: Et quid[d] profuit nobis

[a] non] *inter lineas* [b] nullo eligente] *inter lineas* [c] nec] ne [d] quid] *inter lineas*

[1167] Joh. 5,30; 8,50 [1168] Joh. 12,28 [1169] Joh. 12,28 [1170] Psalm. 109, 4 [1171] Hebr. 7,25

sacerdotium huius?—Multum quidem. Et hoc est: "qui", videlicet Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, "in diebus carnis sue", id est in tempore illo, in quo adhuc in terra erat nobiscum passibilitatibus istis subiectus, cuius tempus non nisi dies dicendum est nec alio nomine nuncupandum. "Offerens preces", cum ait: Pater serva illos, quos dedisti michi,[1172] et non solum illos, sed et eos, qui credituri sunt per illos.[1173] "Supplicationesque", quas in corpore suo exhibuit, ut nobis daret exemplum. Et hoc "ad eum", id est ad Patrem, "qui possit" etc., id est, qui possit servare illum immunem, "a morte", id est a peccato. Offerens, dico, "cum clamore valido". Clamorem validum intentionem eius appellat, que tota semper ad Deum erat. Unde, cum Moyses omnino taceret, dictum est ei a Domino: Quid clamas?[1174] Desiste, ut sinas furorem meum irasci populo huic, quia, etsi tacuerit, tota ad Deum erat intentio, qua eum detinebat. "Et lacrimis", sicuti ad monumentum Lazari, ubi coram iudeis lacrimatus est in resuscitatione illius. "Exauditus est pro sua reverentia", id est pro sua diginitate, quia talis fuit, qui non debuit non exaudiri nec repulsam in aliquo pati, quod postularet.

"Et quidem". Exauditus est, dixi, pro sua reverentia, "et quidem" merito, quia, quanto maior, tanto paratior obedire et se plus omnibus humiliare. Et hoc est, quia, "cum esset Filius Dei", videlicet consubstantialis, "didicit obedientiam", id est experiendo exhibuit et nos etiam addiscere fecit obedientiam, "ex his", tribulationibus videlicet vehementibus, quas pro nobis sustinuit. Tale est autem illud: Iam cognovi te,[1175] id est cognitum feci.[a]

"Et consumatus factus est", id est factus est probatus in virtute et constantia ipsius, que longe maior et excellentior fuit virtute et constantia omnium aliorum. "Omnibus obtemperantibus", acsi diceret: Et quamvis passus vel consumatus in vehementioribus afflictionibus, tamen "omnibus",

[a] Tale—feci] *in margine*

[1172] Joh. 17,11 [1173] Joh. 17,20 [1174] Exod. 14,15 [1175] Gen.22,12

pressuris videlicet, que ei contingebant, "obtemperantibus", id est obedientibus sibi, quia in his nulla ei illata est violentia, cum evenirent, quemadmodum ipse disponebat. Quippe Deus ita omnia in dispositione illius posuerat, ut, quicquid vellet, disponeret et ita contingeret.

"Causa". Passus, dico et consumatus et hoc non propter se, sed "causa salutis", nobis videlicet conferende.

Filius, dico, "appelatus a Deo pontifex", ut in supraposito colliquescit testimonio, id est constitutus, et hoc "iuxta ordinem Melchisedech", ut dictum est et adhuc sepius dicetur, quia de eo in sequentibus longa erit disputatio. Et ideo hic de illo breviter transcurrimus.

De quo, ut apostolus iam dicet, grandis nobis erit sermo. Et hoc est, quod subnectit: "de quo", videlicet Melchisedech, "sermo nobis" est "grandis", id est difficilis, "ad dicendum", ita quidem, ut vos capiatis, qui infirmi estis adhuc[a] ad capiendum, non quod ego non sufficiam vobis secundum sermonis proprietatem exprimendo singula eo modo, quo oportet, etsi vos ad intelligendum non valeatis. Veluti de oratore sepe evenit, qui, cum duos fines habeat, etsi apposite dicat dictione, nonnumquam tamen altero caret, quia auditores non reddit persuasos, cum tamen in se nichil remaneat, qui ea dicit, que persuasioni idonea sunt.

Et quia difficilis est ad dicendum, ideo "interpretabilis", id est dignus interpretatione, quasi de aliena lingua, quam nundum intellixistis. Quod enim iste dicitur sine patre, sine matre et talis et talis legitur, numquam nobis cognitum fuit, qui nec etiam veritatem historie nostre, quod parvulorum est, intelligitis.

"Quoniam". Et vere grandis ad dicendum, ut vos capiatis, "quoniam imbecilles", id est infirmi facti estis, "ad audiendum", id est ad intelligendum.

"Etenim". Vere imbecilles, quia cum "deberetis magistri esse" aliorum et hoc "propter tempus", id est prout temporis

[a] adhuc] *inter lineas*

oportunitas exigit, quia iam converse sunt gentes, que essent a vobis instruende, qui legem habuistis et in ea instructi estis. "Rursus indigetis", id est vobis tamquam parvulis necessarium est, "ut doceamini", id est instruamini, "que" videlicet "sint elementa" etc. Acsi diceret: Vos quidem indigetis, ut de veritate etiam istorie instruamini, quod primum rudimentum est in eis, que ad Deum spectant, documentis. Quod exponit dicens: "et facti estis" etc., id est tales estis, qui adhuc lacte, quod est cibus parvulorum, indigetis, id est minori doctrina, sicuti de veritate historie, quod primum docetur parvulos, "non solido cibo", id est non maiori doctrina, que est cibus perfectorum. Nundum enim ea capitis, que allegoriis velata sunt et misteriis. Tales autem erant Corintii, quibus ait apostolus: Non potui loqui vobis[a] tamquam perfectis, sed tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.[1176]

"Omnis enim". Et vere non est opus vobis solido cibo, cum lacte adhuc indigeatis, quia "omnis", a toto, qui videlicet "particeps lactis est", id est cui minor adhuc doctrina necessaria est, "expers est sermonis iustitie", id est nondum capax est maioris doctrine, quam videlicet iusti sepe divina potius inspiratione assequuntur quam ingenio. Veluti de abbate Clarivallensi palam est, qui illam mirabilem gratiam loquendi et alios instruendi spiritu Dei assecutus est potius quam subtilitate ingenii.

"Parvulus enim". Singula singulis reddit, acsi diceret: Et vere, qui tantum lactis capax est, non est capax solidi cibi, quia ille quidem "parvulus" est necdum potest alta capere. Et vere non est capax solidi cibi, quia "perfectorum" est "cibus solidus", id est doctrina illa, que allegoriis et misteriis referta est. Eorum, dico, cibus est, qui videlicet "habent sensus exercitatos", id est, qui sunt exercitati ex consuetudine, ita quidem, quod iam versum est eis in habitum per

---

[a] vobis] *inter lineas*

[1176] 1 Cor. 3,1 sq.

exercitium, quod didicerunt. Et hoc "ad discretionem boni et mali", id est ad discernendum bonum et malum.

[Cap. 6]

"Quapropter". Quia videlicet debetis magistri esse aliorum, "quapropter", id est quare, vos "intermittentes", id est pretermittentes, "sermonem inchoationis Christi", id est doctrinam, que in his consistit, que ad eos spectant, qui incipiunt christiani esse, sicuti de fide et ceteris, que solent cathezizandis proponi, ut credant, peniteant et ita baptizentur. Vos enim, qui iam cathezizati estis, non oportet iterum cathezizari, id est instrui ad modum cathecuminorum. "Intermittentes", dico, hanc doctrinam parvulorum, "feramur ad perfectiora", id est ascendamus ad sermonem perfectiorem, sicuti de Melchisedech, in quo dignitas Christi exprimitur, quod hucusque vobis velatum est. "Non rursum". Ecce exponit intermittens sermonem inchoationis Christi. Et hoc est[a] "non rursum iacientes" in vobis "fundamentum penitentie" etc., acsi diceret: Non vos iterum de istis instruentes, que sunt premordia et fundamenta eorum, qui ad christianismum veniunt, que etiam vos accepistis in vobis. "Ab operibus". Penitentie, dico, "ab operibus mortuis", id est de operibus, que morte digna sunt. "Et fidei ad Deum". Quam videlicet fidem debeatis ad Deum habere, que in simbolo continetur et quam parvuli docentur ante baptismum.

"Doctrine baptismatum". Pluraliter dicit propter duo genera baptismatis, quorum unum in aqua fit, alterum in sanguine martirum. "Impositionis quoque manuum", id est confirmationis, que fit per impositionem manuum pontificis post baptismum. "Ac resurrectionis mortuorum" etc., id est nec iterum de resurrectione mortuorum tamquam cathezizandi, quam iam accepistis, docendi estis, nec de die iudicii, nisi omnia revelata erunt. Et quod tunc revelatum erit sive de salute sive de dampnatione, stabit in ęternum.

[a] est] *inter lineas*

"Et hoc faciemus". Dixi: Feramur ad perfectionem. "Et hoc", quod videlicet ad perfectiora ferimur, "faciemus" quantum in nobis est, qui vobis perfecte loqui sufficimus, "si quidem Deus permiserit", id est si Deus capacitatem dedit vobis intelligentie. Nisi enim alius doctor interius ad intelligendum corda preparet, frustra laborat in verbis
171r ma||gister exterior, quantumcumque sermonis exprimat proprietatem.

"Inpossibile enim est". Dixi: Intermittentes, non rursum iacientes. Et merito, quia ista non sunt vobis necessaria et ad illam maxime puritatem, novitatem, quam in sacramentis suscepistis, recipiendam non valent vobis, de qua magis fortasse videretur. Et quare? Quia videlicet "eos". Semel intermitte ad tempus et sic lege: "qui illuminati" sunt, in fide videlicet per predicationem alicuius vel etiam per scrutinium, quod suscipiunt cathecumini.

"Gustaverunt etiam donum celeste," id est susceperunt sacramentum baptismatis, quod et donum Dei videlicet dicit et celeste, quia celos nobis aperit. "Et participes facti sunt Spiritus Sancti", id est confirmati sunt per manuum impositionem, in qua confirmatione semper aliquod Dei datur donum, ut, qui confirmatur, melius diabolicis resistat machinamentis,[a] quod sine confirmatione non assequeretur.

"Gustaverunt nichilominus", id est, qui etiam acceperunt "bonum Dei verbum virtutesque seculi futuri", id est corpus Christi ita virtuosum et tale, quale est hodie et qualia erunt in futuro corpora electorum. Suis enim discipulis mortale dedit, nobis quidem cotidie dat immortale.

"Et prolapsi". Nunc omnia breviter cum semel intermisso recollige hoc pacto: Et eos, qui semel, id est simul ista susceperunt sacramenta, unum quidem post aliud eo ordine, quo debent suscipi, et postmodum "prolapsi sunt", id est in peccatum inciderunt; eos, inquam, "ad penitentiam", id est, quantumcumque peniteant, "impossibile est rursum revocari", id est illam novitatem, quam in sacramentis susceperunt, recuperare. Susceptis enim sacramentis tales erant,

[a] machinamentis] *syllaba* na *inter lineas*

quod, si statim morerentur, sine omni pena transirent ad vitam. Ad quem statum, quantumcumque peniteat homo, si post sacramenta ista lapsus fuerit, pervenire non poterit, quia semper ei pena restat purgatoria. Penitentia enim etsi gehennam removeat, superest tamen satisfactio penitentibus, qui in penitentia, ut nonnulli faciunt, non ita debent confidere, ut securius peccent cum beato dicentes Jeronimo:[1177] Non statim penitentie subsidia vobis blandiantur, que sunt infelicium suffragia, quia vulnus cavendum est, quod dolore curatur.

"Rursum crucifigentes". Acsi diceret: Eos dico "rursum crucifigentes Filium Dei", id est iterum assequentes, adipiscentes illam novitatem per crucifixionem Filii Dei. Deus[192*]enim passioni Filii sui, qui omnes penas tam vehementes sustinuit, hanc vim et hanc efficaciam dedit, ut ea baptismo adiuncta suprapositam conferret novitatem, ut, quicumque postmodum cum devotione suscepto baptismate perfecte credens in Filium et crucifixum et passum statim moreretur, sine omni dilatione ad beatitudinem festinaret omni pena remota. Quod et in rubro mari prefiguratum est. Mare enim non tantum mare fuit, sed et rubrum fuit, quia nec passio Christi sine baptismo nec baptismus sine passione illam potuit conferre novitatem. Sed quod unum non fecit, iuncta facere potuerunt. Nec tamen melior est baptismus vel passio per se considerata, quamvis copulata hanc habeant simul efficaciam. Veluti unus nummus, quod per se facere non potest, cum alio ipse efficit, nec tamen plus valet postmodum quam prius.

Queritur, quid baptismus Christi ante passionem eius proficeret, cum multi in baptismate illius ante mortem ipsius fuerunt loti.

[1177] Epistola 29, n. 10 (PL 22,731): Nec statim nobis poenitentiae subsidia blandiantur, quae sunt infelicium remedia. Cavendum est vulnus, quod dolore curatur.

[192*] Abaelard., *Sermo* 3, *In circumcisione Domini* (PL 178,404); *Expositio in ep. Pauli ad Rom. lib.* 2 c. 4 (PL 178,844B); *Sent. Herm.* c. 28 (PL 178,1758D); *Sent. Flor.* 23

Philosophus: Hoc quidem fecit, quod pro originali peccato vel culpa propria non amplius gehennam incurrerent, nec tamen omnem penam relaxavit. Per sanguinem vero Christi baptismo illius adiunctum et gehenna omnino remota est et omnis pena relaxata.

Item queritur, cum circumcisionis et baptismi eadem fuerit efficacia, utrum videlicet circumcisis lege adhuc statum suum habente et circumcisione vim suam retinente et usque ad tempus baptismatis Christi pervenientibus baptismus Christi fuerit necessarius.

Philosophus: Nequaquam. Quippe non susceperunt,[a] uti eis quicquam proficeret, sed ut daretur aliis exemplum, sicuti de Paulo contigit, qui solus de apostolis legitur fuisse baptizatus.

Obicitur autem ex testimonio veritatis, que ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei.[1178]

Philosophus:[193*] Hec, inquit, auctoritas alias determinatur saltem ex martirio. Si enim generale esset, cum martires quidem sine ista renatione salventur, omnino, quod dictum est, a veritate esset alienum.

"Et ostentui habentes". Quasi rursus ita dicat: Et illos quidem iterum dico "habentes" Filium videlicet Dei "ostentui", id est vilitati, si sacramenta iterarent. Que enim solent duplicari, efficiuntur viliora. Ideoque ad prerogativam passionis Christi, quemadmodum ipsa semel[b] facta est, ita et semel baptismus Christi faciendus est.

"Terra enim". Dictum est, quia semel facienda sunt illa, ne confidentia istorum, si possent repeti, vilescerent et ipsi parvipenderent vel peccare vel peccata multiplicare. Sed, qui peccata multiplicant, digni sunt dampnatione, sicut et e contra, qui bona, salvatione. Et hoc per competentem

---

[a] susceperunt] susceperent [b] semel] *inter lineas*

[1178] Joh. 3,5

[193*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom. lib.* 2 c. 4 (PL 178,845D); *Sent. Rol.* 1 sqq., 208 sq.

monstrat similitudinem, per terram videlicet aridam et fructuosam. Et primum ponit de fructuosa. Et hoc est, quia "terra" etc., id est imbre, quem frequenter accipit, imbuta, et "generans", id est proferens, "herbam opportunam", id est bonam et multis utilem. Et hoc "illis", id est per illos, "a quibus" videlicet "colitur", id est excolitur, ut bonum efferat fructum. Ea, inquit, terra "accipit benedictionem", id est a Deo benedicitur.

Per terram istam bonam significatur anima fidelis, per imbrem vero doctrina sacra, quam pluunt nubes, id est predicatores sancti sicuti apostoli, de quibus dictum est: Qui sunt isti, qui ut nubes volant?[1179] Primum enim in Iudea notus fuit Deus. Sed postmodum per apostolos, qui sunt nubes, discurrentes per mundum universum dilatatus est Christus, quia in omnem terram exivit sonus eorum. Quorum verba tunc suscipimus, cum doctrine eorum adquiescimus. Et hoc est, quod dicit: Bibens ymbrem, id est adquiescens verbis divinis, que ei predicantur.

"Proferens autem". Continuatio: Terra illa, que talis est, accipit a Deo benedictionem. Sed terra, que profert "spinas et tribulos", id est anima, que mala facit opera, que pungunt et quibus Deus exasperatur et eius dulcedo in amaritudinem convertitur, quia, ut ipse dicit, domus exasperans est, quem nos peccando nobis asperum reddimus, non quia in se asper sit, sed quia nostra in nobis punit peccata. "Reproba est", id est a Deo reprobata est, "et maledicto proxima", id est propinqua. Sed nondum in eo consistit maledicto, quia quamdiu in vita est, ab iniustitia sua redire potest. "Cuius consummatio", id est finis, erit, subaudis, "in combustionem", id est in incendium eternum, in quod maledicti ibunt iuxta illud: Maledicti, ite et vos in ignem eternum.[1180]

"Confidimus". Quia iam multum eos exasperaverat et in suprapositis, ubi dixit quosdam de populo illo deperiise propter incredulitatem, quibus iuravit Dominus: Si introibunt in requiem meam,[1181] et in proximo per terram aridam

[1179] Is. 60,8 [1180] Cf. Matth. 25,41 [1181] Hebr. 3,11; Psalm. 94, 11

quosdam, qui spinas proferunt et tribulos, tetigit perituros, ne et ipsi putarent, quod in sententia apostoli esset se huiusmodi esse, lenit eos et mitigat apostolus, ne in desperationem veniant, dicens, quia Deus non obliviscetur tante dilectionis,[a] quam habuerunt et habent in sanctos omnes. Continuatio: Videmur contra vos dixisse quedam, sed tamen "confidimus de vobis, dilectissimi", id est, quos plurimum diligo, "meliora", non, que de mundo sunt bona, sed que sint "viciniora", id est aptiora,[b] "saluti", id est vestre salvationi, "tametsi". Confidimus, dico, quamvis hucusque ita locuti sumus.

"Non enim". Vere confidimus, quia "Deus" etc., id est Deus ita iustus est, quod non obliviscetur vestrorum bonorum operum ex dilectione provenientium. Multa autem opera fiunt et bona, que ex dilectione non proveniunt, sicuti in ypocritis, qui in omnibus, que faciunt, laudem querunt humanam.

"Quam", videlicet dilectionem, "ostendistis", id est exibuistis, "in nomine ipsius", id est ad gloriam ipsius et laudem. Vos dico, qui videlicet "ministrastis" etc., id est pauperibus Dei de bonis vestris refrigerium fecistis et adhuc facitis.
171v Isti enim, cum de || proprio non haberent, de collectis illis, de quibus apostoli in suis predicationibus eis providerunt, sanctis ministrabant.

"Cupimus autem". Acsi diceret: Et cum hucusque ministraveritis, cupimus vos in proposito isto perseverare. Et hoc est "cupimus autem unumquemque vestrum eandem sollicitudinem ostentare", id est frequenter ostendere. Et hoc "ad explexionem spei", id est, ut spes vestra expleatur in vobis, assequentes, quod nunc speratis. Spei, dico, perducentis "usque in finem", id est usque ad finem iustitie, cuius finis, ut dicit philosophus, ubi in topicis, sumit a finit argumentum. Ait enim: Si beatum esse bonum est, et iustitia bona est. Hic enim iustitie finis est, ut si quis vivit secundum iustitiam, ad beatitudinem perducatur. Infra quem finem non est remanendum nec ultra tendendum, quia, ut

[a] dilectionis] dilectiones [b] aptiora] astuiora

beatus astruit Augustinus,[1182] ultra Deum, qui omnium beatitudo est, tendere stultum est, et infra remanere tutum non est. "Ut non". Eandem, dico, ostentare, et hoc ita, "ut" videlicet "non efficiamini segnes" in dando ex aliqua tristitia, quia hilarem datorem diligit Deus.

"Verum", id est sed, "imitatores eorum", id est illos semper imitemini, "qui fide et patientia", id est perseverantia in bonis operibus, "hereditabunt promissiones", id est promissiones patribus factas perpetuas possidebunt ad modum hereditatis, que perpetua in posteris est, hoc est vitam ęternam, que non solum est bonum, sed et etiam ęternum.

"Abrahe namque". Ecce iterum, quia, ut paulo ante meminimus, eos contristaverat dicens quosdam de patribus eorum incredulos esse, ut nunc illos ex toto mitiget, de promissionibus patribus eorum sicuti Abrahe factis et in ipsis etiam[a] completis subnectit hoc loco, que et iuramento confirmate sunt. Quod audire multum placet hebreis, qui in predicatione eorum plurimum delectantur.

Continuatio: Bene dixi: Promissiones, quia Abrahe patri nostro promissit Deus et promissum suum iure iurando confirmavit. Et hoc est, quia "Abrahe promittens Deus". Et ut ei melius crederetur, "iuravit", id est iuramento promissum confirmavit. Et hoc "per semetipsum". Et quare per semetipsum, quod homines non faciunt? "Quoniam" videlicet Deus "neminem", id est nullum "maiorem" se "habuit, per quem" illi "iuraret".

Iuravit, dico, "dicens: Nisi benedicens" etc. Huiusmodi defectio, ut supra meminimus, est sententie perfectio. Acsi dicatur: Non ulterius credar, non ulterius sim Deus, nisi istud complevero.

Litteram sic lege: "Nisi benedicens", hic quidem in virtutibus, tandem "benedicam te", id est ad effectum benedictionis te perducam.

"Et multiplicans", in filiis videlicet carnalibus, "multipli-

---

[a] etiam] *in margine*

[1182] Cf. Augustin., *Epistolarum Classis* 2 Ep. 118 n. 15 (PL 33,439)

cabo", in filiis quidem spirtualibus. Multos enim filios habuit de Ysaac et multos de Ismahele, pater quidem multarum gentium.[1183] Nec tamen omnes, qui de eius carne sunt filii, in semine illius computantur, sed qui filii sunt promissionis, etiamsi de carne illius non fuerint, quia pater positus est omnium credentium, non solum qui ex circumcisione sunt, sed et qui ex preputio imitantes fidem illius.

"Et sic". Continuatio: Ista promisit ei[a] Dominus, item et repromisit. "Et" ipse quidem Abraham "ferens longanimiter", id est longa expectatione expectans, "adeptus est", id est assecutus est, etsi non in diebus suis. Ipse enim vel carnalium vel spiritualium filiorum suorum hanc non vidit multitudinem. "Repromissionem", quia non semel ei id promissum est, nec ei solum, sed et singulis patriarchis, quibus dictum est, quoniam in semine tuo benedicentur omnes gentes.

Queritur, an hoc nomen patriarcha illis primis patribus ex aliqua convenerit officio.

Philosophus: Nequaquam. Sed ex quadam, inquit, dignitate dicti sunt patriarche tamquam patrum principes non solum in carne, sed et in fide iuxta illud: Senex fidelis prima credendi via est.

Abram "sic". Adeptus est, dico, et hoc "sic", quemadmodum videlicet vos videtis omnes. Quamvis enim nunc etiam nonnulli sint filii Ade, id est imitatores transgressionis illius, multi tamen et plures, quam estimentur, latent inter nos Abrahe filii, id est imitatores illius in fide. Quod enim in puplico bonum esse videtur, possumus fortasse generaliter astruere, quoniam omnino nichil est. Monacus quippe, qui et alicuius religionis est, si pro ingenii subtilitate ad pauperum defensionem a claustro devocatur ad secula audiens undique: Domine, tota fiducia mea in vobis est, et primum, si placet, iuvabitis me in causa, statim conversus ad se dicit: Qui sum ego, qualis sum ego, cuius oculo mundus videt uni-

[a] ei] *inter lineas*

[1183] Gen. 17,4 sq.

versus. Que enim palam bona sunt, semper aliqua capiuntur delectatione et vix sibi de laqueo precavent, que in se aliquam habent comendationem. Unde Theophrastus,[1184] qui probat philosopho uxorem non esse ducendam, dicit: Si pulchra est, magna instare incommoda, cui omnes parabunt insidias. Sed quod ab omnibus desideratur vel impugnatur, sepe capitur et superatur. Beatus quoque Jeronimus[1185] de religioso, qui ita in commune vocatur, multum curialiter dicit: Etsi enim, inquit, quasi coactus veniat, et ora rubor perfundat, ad laudem tamen sui anima interius letatur.

"Homines enim". Reddit causam, quare Deus, si maiorem se inveniret, per maiorem se iuraret, quia videlicet ita faciunt homines, quibus et ipse loquebatur, qui, ut eis melius credatur, semper maiores suos in sacramento ponunt. Et hoc est, quia "homines" etc., id est maiores se in iuramento statuunt.

"Et omnis". Diceret aliquis: Estne magnum aliquid apud homines iuramentum? Ita quidem, quia, non dico, unius, sed "et omnis controversie" etc., id est omnem altercationem eorum in confirmatione[a] cuiuslibet terminat iusiurandum. Quod enim ferrum ignitum affertur ad confirmandum aliquid, quod pugne fiunt, quod cetera huiusmodi, omnino contra ecclesiam est et tamquam Dei temptatio. Quod enim Deus miraculo suo in persona aliqua specialiter operatur, sicuti in David operatus est, qui pugna triumphavit hostem, non est a nobis trahendum in exemplum, ut duellis videlicet invicem litigemus, quod uni persone specialiter concessum est per miraculum.

De iuramento videndum est, de quo dicit veritas: Nolite iurare neque per celum neque per terram,[1186] hoc est nolite iuramentum appetere. Et si te in liberatione proximi per: omne verbum stat in ore duum et trium testium,[1187] iurare

[a] confirmatione] confirmitione

[1184] Hieronymus, *Adversus Jovinianum lib.* 1 n. 47 (PL 23,289)
[1185] *Locus non inventus* [1186] Jac. 5,12 [1187] Matth. 18,16; Deut. 19, 15; 2 Cor. 13,1

propter Deum oportuerit, semper coactus accedas et nolle in corde habeas, quicquid propter Deum verba sonent extrinsecus.

Et nota, quod non est nobis iurandum nisi per illa, que ad salutem anime nostre spectant vel periculum. Unde dicitur: Et iurabis per Dominum Deum tuum.[1188] Non enim per animam patris mei iurare debeo vel aliquid huiusmodi, nisi tale fuerit, quod ad meam vel salvationem pertineat vel dampnationem.

Si quis autem querat, quid sit iurare per Deum vel per fidem meam, tale est, acsi dicatur: Deus non proficiat michi in eternum, vel fides mea non sit michi ad aliquam utilitatem, nisi, quod promitto, tenuero.

"In quo", id est, in qua re, quam videlicet pollicitus est Deus, confirmanda, ipse quidem "Deus habundantius", id est firmius, "volens ostendere", id est manifestare, "heredibus pol-
172r licitationis", id est illis, qui Habraham in fide imitan || tes illas promissiones in perpetuum habebunt. "Immobilitatem consilii", id est immobile consilium suum, hoc est suam dispositionem de vita eterna electis suis conferenda. "Interposuit iusiurandum", id est inter [posuit] promissionem et completionem, ut magis ei crederetur, statuit iuramentum, hoc est illud suum[a] consilium heredibus revelatum iure iurando sanctivit[b].

"Ut per". Interposuit, dico, "ut" videlicet "per duas res immobiles", id est per promissum et iuramentum, in utroque quorum Deus immobilis est, quia et, quod promittit, necesse est eum complere, et, cum ex toto sit invariabilis, impossibile est eum peierare. Et hoc est, quod subiungit: "quibus", duabus videlicet rebus, "impossibile mentiri Deum", qui ab omni mendacio alienus est, "habeamus firmissimum solatium", id est maximam fiduciam. Nos, dico, habeamus, "qui" videlicet "confugimus" a tempestate ista secularium procellarum summo desiderio "ad tenendam" etc., id est ad

---

[a] suum] *inter lineas* [b] sanctivit] sactivit

[1188] Cf. 3 Reg. 1,17; Matth. 5,34 sqq.; 23,16 sqq.

tenendum portum illum salutis eterne, quem nos speramus, ubi nullus turbo, nulla procella est.

"Quam", scilicet spem, habemus "sicut anchoram anime". Ecce quasi anchoram nostram spiritus dicit. Nostra enim navis anima est, que nos suis desideriis vel ad celos vel ad inferos ducit, quia magis utimur imperio animi quam corporis servitio.[a] Sed spem anchoram habet, que navim istam firmiter tenet, ne in his procellis a suo exorbitet creatore. Spes enim, quantumcumque quid videatur difficile, quasi pro nichilo nos facit estimare, quia, ut beatus dicit Jeronimus,[1189] cum Deus nobis dura et austera dederit mandata, ea temperat spe promissorum. Cum enim ex una parte laborem videamus, ex alia vero tantum premium intelligamus, dicit nobis ratio: parum sit nobis de labore isto, quos infinita expectant premia.

"Tutam", id est facientes nos securos de premio, "ac firmam", id est firmos nos facientem contra omnes adversitates, in quibus facile deficeremus, nisi spes nos sustentaret. "Et incedentem", id est facientem nos incedere maximis desideriis et suspiriis, "usque ad interiora velaminis", id est usque ad vitam illam celestem, que per secundum tabernaculum significata est, quod velamen habebat, quod erat inter populum et pontificem. Que vita et adhuc nobis cooperta est, quia, ut dicit apostolus, vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.[1190] De quo et beatus dicit Ambrosius[1191] dicens, quia multi sumus filii Dei, sed, quod erimus, nondum apparet,[1192] donec videlicet Christus, ut idem dicit apostolus,[1193] apparuerit vita nostra. Et tunc apparebimus cum ipso in gloria.

"Ubi", id est, in que interiora velaminis, "introiit", id est ingressus est Jhesus. Ille, dico, precursor pro nobis, ubi videlicet, sicut ipse precessit in gloriam, ita et nos membra illius eum tamquam caput nostrum quandoque sequi confi-

[a] quia magis—servitio] *inter lineas et in margine*

[1189] Forte Gregorius, *Moralium lib.* 26 c. 20 n. 35 sq. (PL 76,369 sq.)
[1190] Coloss. 3,3 [1191] Cf. Ambrosius, *Epistolarum Classis* 1 Ep. 35 n. 13 (PL 16,1126) [1192] 1 Joh. 3,2 [1193] 1 Joh. 3,2

damus.[a] Noster enim precursor fuit, cursor vero in se, quia missus a Patre pro suis contra diabolum dimicare expeditus fuit ad omne illud, quod eum facere conveniebat. Et semper in cursu erat non habens animum terrenis applicitum, quia exultavit[b] ut gigas,[1194] id est ut fortis. Gigantes enim fortes erant ad currendam viam, que ei erat proposita toto animo illuc tendens, unde ipse venerat, id est ad interiora velaminis, que ipse prior ingressus est, quia Christus est primitie dormientium.

"Secundum ordinem". Ecce quasi leporarius primum cum ungulis leporem accipiens, ut tandem totum arripiat, ita apostolus nunc quasi a longe de Melchisedec repetit, ut in eo ex toto amplius immoretur. Et hoc est Jhesus, dico, "factus pontifex", id est constitutus a Deo sacerdos, "secundum ordinem Melchisedec", ut supra expositum est. Et hoc "in eternum", quia alius non succedet ei pontifex.

---

[a] confidamus] *add. et del.* In nobis [b] exultavit] *correctum ex* exultabit

---

[1194] Psalmus 18,6

[Cap. 7]

"Hic enim". Quod superius promisit dicens: De quo est nobis grandis sermo et interpretabilis ad dicendum, vult modo apostolus complere et in isto assignare, qua dignitate Christus noster sacerdos vel eius sacerdotium ceteris sacerdotibus vel eius sacerdotiis preemineat. Qui levitico quantum precellat pontifici, in isto apparet, in quo eius plene exprimitur dignitas. Sicut enim Melchisedec rex fuit et sacerdos, ita et Christus. In lege vero tribus divise erant, ex quibus assumebantur sacerdotes et eligebantur reges. Nec ille dignitates in lege in eadem conveniebant persona, que simul in Christo unite sunt, quemadmodum in Melchisedec, qui eum expresse prefigurabat.

Sine patre autem et sine matre dicitur esse, non quod sine patre et matre fuerit, sed quia reticetur in ystoria, que de patre vel de matre illius nullam facit mentionem. Ita et Christus in una generatione sine patre est, in alia vero sine matre. In celis enim sine matre est, in terris vero sine patre. Item de principio illius non legitur et de eius obitu omnino tacetur. Quod et Filio Dei convenit, qui nec principium habuit nec finem habebit.

Hoc itaque loco sermonem habet apostolus sine allegoriis et misteriis, que ipse ponat[a] de Christo, virtuosum per Melchisedec, qui plenam eius exprimit dignitatem nec umquam ab apostolo aliquid inductum fuit tam magnis orationibus refertum, tam utique validum ad Christi commendationem. Si enim ita est in hebreo, sicut hic habetur, iudei non habentes, quid dicant, omnino confutantur. Quippe cum per[b] prophetam dicentem:[c] Tu es sacerdos[1195] etc., promittat Dominus quendam magnum sacerdotem non secundum ordi-

[a] ponat] *add. et del.* de Christo [b] per] *inter lineas* [c] dicentem] dicetem

[1195] Psalm. 109,4; Hebr. 5,6

nem leviticum, sed secundum ordinem Melchisedec, velint nolint, oportet, ut intelligant eorum sacerdotium quandoque deperire in melioris videlicet adventu[a] sacerdotis.

At vero dicunt iudei, quod in propheta, ubi nos habemus nomen sacerdotis, ipsi habent vocabulum, quod et specialiter pro sacerdote et pro quocumque Dei ministro accipitur. Et est tale secundum illos, acsi dicatur: Tu es minister Dei secundum ordinem Melchisedec.

Litteram sic iungas: Factus est sacerdos secundum ordinem Melchisedec. Et bene, quia "hic Melchisedec rex Salem", illius videlicet loci, "sacerdos Dei summi", ad differentiam falsorum deorum vel vicariorum Dei, qui et dei appellantur. Sunt enim, ut apostolus dicit, dii multi et domini multi.[1196] Item psalmus: Deus deorum dominus locutus.[1197] Item, Deus stetit in sinagoga eorum, in medio autem deos diiudicat.[1198]

"Qui obviavit". Istoriam tangit, que commemorat, quoniam Abraham insecutus est reges illos et Loth nepotem suum liberavit et predam secum reduxit maximam, cui redeunti occurrit Melchisedech et obtulit ei panem et vinum. Et hoc est "qui obviavit", id est, qui occurrit ei in via, "regresso a cede regum", id est ab interfectione[b] illorum regum.

Quod "benedixit ei", id est Abraham commendavit se orationibus ipsius, ut pro ipso ad Deum interveniret tamquam Dei minister, quem longe superiorem se recognoscebat.

"Cui", scilicet Melchisedech, "decimas" etc., id est de omnibus illis, que habebat in preda, dedit illi decimam.

De Salem sciendum diversas esse opiniones. Nonnulli enim, ut fere doctores nostri omnes, astruunt Salem, cuius rex dicitur iste, fuisse Jerusalem, que primum simpliciter vocabatur Salem. Sed postquam Jebuseos habuit habitatores, ab illis dicta est Jerusalem, quasi Jebusalem.[1199] Alia est

---

[a] adventu] advetu [b] interfectione] *syllaba* ter *inter lineas*

[1196] 1 Cor. 8,5 [1197] Psalm. 49,1 [1198] Psalm. 81,1 [1199] Hieronymus, *De situ et nominibus locorum hebraicorum* (PL 23,951); Epistola 73 n. 2 (PL 22,677)

autem opinio hebreorum, quam et ponit beatus Jeronimus,[1200] quibus et ipse quandoque videtur assentire, quandoque superioribus. Dicunt enim nomen fuisse cuiusdam oppidi iuxta Jordanem, unde rex iste dictus est. Quibus videtur assentire ewangelium, cum ait: Et erat Johannes baptizans in Endor iuxta Salim.[1201] Non enim dicunt hebrei Salem pro oppido illo, sed Salim, quamvis eisdem litteris, ut beatus dicit Jeronimus,[1202] utrumque significent, qui virga supraposita et puncto supposito faciunt distinctionem. In quo propter littere identitatem in translatione deceptus fuit, qui transtulit non intelligens littere variationem.[a] Et quod Jerusalem rex non[b] fuerit, coniecturis probant, quia Abrahe ex tam remotis partibus et, per quas ille rediturus non erat, illi redeunti non facile occurreret. Sed ex oppido illo, quod in via erat, facile illi potuit occurrere.

Aliam autem || beatus Jeronimus[1203] eorum opinionem ponit. 172v
Hunc enim astruunt esse Sem primogenitum de filiis Noe, quem nec sacerdotem dicunt esse, sed ex quadam dignitate, quam habebant primogeniti ante alios fratres, licebat et huic, qui primogenitus erat, et pro se et pro aliis hostias immolare. Primogenitorum enim erat hec dignitas ante institutionem levitici sacerdotii, ut minores fratres illis darent hostias, quas et ipsi pro eis Deo offerrent[c] tamquam sacerdotes. Unde legitur Esau primogenita sua vendidisse Jacob, id est illam dignitatem, quam solent primogeniti habere inter fratres. Item de vestibus, quas primogeniti solebant interim habere, dum immolarent, commemorat scrip-

[a] In quo—variationem] *inter lineas et in margine* [b] non] *in margine* [c] offerrent] offerret

[1200] Cf. Haimo, *Expositio in epistolas S. Pauli. In ep. ad Hebr.* c. 7 (PL 117, 865): Salem autem (sicut beatus Hieronymus dicit) non est putanda Jerusalem, ut Iosephus historiographus nostrorumque arbitrantur plurimi, sed juxta oppidum est Scythopolim, quae usque hodie appellatur Salem sive Salim de quo (teste beato Hieronymo) in evangelio legitur: "Erat autem Ioannes baptizans in Aennon juxta Salim quia aquae multae erant ibi." [1201] Joh. 3,23 [1202] *Liber hebraicarum quaestionum in Genesim* (PL 23,1040) [1203] *Ibid.*, (PL 23,1010)

tura loquens de vestibus Esau quasi sacerdotalibus, cum ait: Et induit eum vestibus Esau,[1204] quas habebat domi valde bonas. Mater enim, que ita sollicita erat de benedictione Jacob, plus diligebat eum quam Esau. Pater vero econtra Esau plus diligebat.

"Primum quidem". Nunc incipit per istum Christum commendare et primum nomina interpretatur. Nomen quidem illius et nomen oppidi eiusdem, ut ex ipsis etiam interpretationibus appareat Christi commendatio. Et hoc est "primum quidem". In Genesi[1205] videlicet dictus est Melchisedech, "qui interpretatur rex iustitie". Melchis enim rex, sedoch iustus vel iustitia.

"Deinde autem". In eadem videlicet scriptura dictus est "rex Salem", quod sic interpretatur. Ita et Christus rex est et verus rex, qui bene regit suos, quos et iustos facit.

Et hunc ordinem, qui hic assignatur, in edificatione sue servat ęcclesie, quia primum iustificat et iustificatos ad pacem superne patrie postea ducit. "Sine patre" etc., id est dictus etiam sine patre et sine matre, non quod sine patre, ut dictum est, fuerit vel matre, sed "sine genealogia", id est quia eius non habetur genealogia.[194*] Ita et Christus genealogiam non habet vel mater illius. Cum enim ewangelista dicatur Christi generationem ponere, ad ultimum dicit: Genuit autem Joseph virum Marie, de qua natus est Christus.[1206] Et ita omnino tacetur generatio Domini et matris eius. Quod autem mater matris Domini a quibusdam Anna dicitur et pater illius Joachim, nonnulli sunt, qui pro frivolo habent. Vel "sine genealogia" filiorum, non quod filios fortasse non habuerit, sed quia in narratione istorie filii illius non continentur. Ita quidem et Christus filios carnales nullos habuit.

"Neque initium" etc., quia neque de principio illius neque de fine quicquam narrat scriptura, in quo Christi gerit tipum, qui principium non habens fine utique omnino caret.

[1204] Gen. 27,15 [1205] Gen. 14,18 [1206] Matth. 1,16

[194*] Cf. *Sent. Flor.* 29

"Assimilatus autem". Acsi diceret: Et in his omnibus "assimilatus Filio Dei", id est Filium Dei prefigurans. "Manet" etiam "sacerdos in perpetuum", in quo et assimilatus est Filio Dei, cuius sacerdotium perpetuum est, cui quidem aliud non succedit, quod et easdem species, panem videlicet et vinum habet, quas ille in suo[a] habuit sacrificio occurrens Abrahe. Unde, sicut beatus dicit Ambrosius,[1207] non habent hebrei, quare de antiquitate suorum sacrificiorum glorientur, cum nostrum sacrificium multo ante in suis precesserit speciebus.[b]

Sed obicitur, quod illi, qui animalia immolant, sue sacrificationis initium habuerunt in primis fratribus, qui et animalia immolaverunt.

Ad quod philosophus: Imolatio, inquit, illorum sacerdotii sacrificium non fuit, quia ante Melchisedech non fuit sacerdos aliquis constitutus. Primus enim iste a Deo sacerdos factus est, in quo species nostri sacrificii precesserunt species levitici. Nostrum quoque longe dignius et efficacius est sacrificium. Leviticum enim, quod sacrificat animalia, ubi maximus fetor est et unde nequeunt musce fugari, nullam efficaciam habet in suscipiente. Quod attendens propheta, cum omnino ea parvipendat sacrificia dicens: Numquid enim manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo?[1208] subiungit: Imola Deo sacrificium laudis.[1209] Christi vero sacrificium omni, qui cum devotione suscipit, aliquod confert donum, quod primitus non habuit et maxime suscipientem in eo, quod prius habebat, confirmat bono. Panis enim cor hominis confirmat.[1210] Quod de isto pane specialiter dicitur. Veluti illi, qui proficiscuntur Jerosolimam, ex presentia sacrorum locorum, sepulcri et sindonis, quam vident, ubi positus erat Dominus, maiorem compunctionem habent et fervorem ad Deum, quam si domi essent, vel alii multi, qui ibi non sunt electi. Ita et ille, qui devote carnem sumit et sanguinem Domini, aliquod donum semper

---

[a] in suo] *inter lineas* [b] speciebus] spebus

[1207] Cf. *De sacramentis lib.* 4 c. 3 (PL 16,457) [1208] Psalm. 49,13
[1209] Psalm. 49,14 [1210] Psalm. 103,15

a Deo assequitur, sicut et illi etiam electi, quibus non licet suscipere, siquidem susciperent, in aliquo similiter crescerent dono. Quibus tamen eos, qui suscipiunt eo, quo convenit modo, non omnes arbitror meliores.

Sed obicitur quidem, quod nemo saltem adultus salvari poterit, nisi carnem sumpserit et sanguinem Domini ex illa, que dicit, auctoritate: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam[a] in vobis.[1211]
Philosophus:[195*] Nichil, inquit, ad hoc spectat auctoritas, que ita exponitur: Nisi, quod ego propter vos fecerim patiendo, moriendo, satis sit vobis, non est, quod amplius expectetis ad vestram sufficere salutem.
"Intuemini autem". Assignato, quam expressam Melchisedech teneat Christi similitudinem, eum vult commendare et supra Abraham etiam, quem superius commendaverat et quem hebrei pro maximo habent sublunare, ut ex ipso, in quo Christus prefigurabatur, appareat Christi eminentia.

Continuatio: Multa iam dicta sunt de Melchisedech. Et inde quidem "intuemini", id est attendite, "quantus sit hic", id est pro quanto habendus est iste, "cui" tamquam maiori, "et", id est etiam ille, qui tantus est, et quem pro tanto habemus, "Abraham" videlicet primus "patriarcha dedit", id est obtulit, "decimas" tamquam homo ordinis inferioris. Et hoc "de precipuis", id est de melioribus, que habebat. Maledictus enim, ut unus de minoribus dicit prophetis, qui pinguem habet in grege et debilem et claudum dat Domino.[1212] Quod mater Demetriadis virginis diligenter attendens, cum multas habuerit filias, pulcriorem in grege Deo assignavit. Unde beatus Jeronimus[1213] matri mittens epistolam eam plurimis commendat modis dicens: Eam quidem, que in

[a] vitam] *inter lineas*

[1211] Joh. 6,54 [1212] Malach. 1,14: Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum et votum faciens immolat debile Domino. [1213] Epistola 130 n. 6 (PL 22,1111)

[195*] Cf. *Sent. Flor.* 30

grege pulcrior, dedisti Deo. Alie vero matres econtra faciunt, que eas, quibus non dignos inveniunt soceros, claudas et gimbosas Deo assignant filias.

Nota, quod pecuniam illam, quam Abraham videtur regibus abstulisse, et de qua decimam dedit, [1214] [a] ex rapina tamen non habuit, sed ex Domini concessione, qui ei precepit, ut credimus, id facere. Veluti de auro Egiptiorum factum est, quibus Hebrei nullam fecerunt iniuriam, etsi eis nescientibus Domino quidem precipiente illud latenter detulerint.[1215] Verbi gratia, si dominus aliquis servorum suorum uni suam commendet peccuniam, deinde alii precipiat, ut eam accipiat, qui, si eam eo etiam nesciente acceperit in archa quidem reconditam, nullam illi infert iniuriam, cum, quod domini est et precepto domini id ipse[b] accipiat.

Nota iterum eum dare decimas Deo ex omnibus, que habet. Qui decalogum legis attendens, ubi decem continentur mandata, id est attendens Dei precepta, que nos trahunt ad bene operandum, opera omnia, que facit bona et quicquid boni in se[c] senserit, non sue imputat probitati, sed totum divine ascribit gratie.

Item attende, quod Abrahe redeunti a cede V regum occurrens Melchisedech panem obtulit et vinum.[1216] Ita nisi sensus, qui V sunt, ne nos ad illicita pertrahant, rationi subiugemus et, ut nobis non dominentur, ex toto subiciamus, non est utique dignum, ut nobis Christus cum sua occur || rat 173r
hostia. Qui vero omnino subiectos habet sensus, potest ad mensam illam securus accedere.

"Et quidem". Eum quodam modo Abrahe pretulit. Nunc vult preferre eumdem leviticis etiam sacerdotibus.

Continuatio: Non solum in illo commendatur, sed et in isto quidem leviticis preferendus sacerdotibus, quia, cum illi[d] populum deciment, iste patrem populi decimavit. Et hoc est "et quidem de filiis" etc., id est levitici sacerdotes, "man-

[a] et de—dedit] *inter lineas* [b] id ipse] *inter lineas* [c] in se] *inter lineas* [d] illi] ille

[1214] Gen. 14,20 [1215] Exod. 3,22; 11,2; 12,35 [1216] Gen. 14,18

datum habent secundum legem", id est ex lege, que hoc precipit, "habent decimas sumere a populo", id est populum decimare. Quod exponit dicens: "id est a fratribus suis", quos fratres appellat quia ab uno venerunt omnes.[1217] "Quamquam". Acsi diceret: Habent quidem hanc potestatem super fratres, quamquam, id est quamvis, "et ipsi", quos videlicet illi decimant, "exierint de Abrahe", id est eiusdem dignitatis sint secundum patrem.

"Cuius autem". Illi decimas a populo sumunt, sed iste, qui fuit quasi alienigena, "cuius" videlicet "generatio", id est genealogia, "non annumeratur in eis", id est in hebreis, "decimas sumpsit ab Abraham", id est patrem populi decimavit.
"Et hunc". Item per aliud commendat illum, quia videlicet Abraham, qui tantus erat et cui facte sunt promissiones iste, quidem benedixit.
Continuatio. Non solum in his, que dicta sunt, apparet dignitas, sed et in isto, quod videlicet "hunc", id est Abraham, "qui habebat repromissiones", quia non semel ei facte sunt promissiones, "benedixit". Quod paulo ante exposui.

"Sine ulla". Acsi dicat: Et per istud plurimum commendatur, quia "sine ulla contradictione", id est nemo potest negare, quod id videlicet, "quod minus est", id est inferioris ordinis est, "benedicitur a meliore", id est ab eo, quod maioris est.
"Et hic quidem". Item leviticis istum digniorem ostendit, quia illi morientes sumunt decimas. De morte vero huius non invenitur, sed tamen de vita. Et fortasse in paradisum translatus est iste quemadmodum Enoch vel Helia. Et hoc est[a] "et hic", id est ex lege, "quidem homines morientes", id est, qui moriuntur, "accipiunt decimas", id est a populo decimas sumunt. "Ibi autem", id est sed in Genesi "contestatur scriptura, quia vivit", id est de vita tantum scriptura testatur.

---

[a] Et hoc est] *inter lineas*

[1217] Cf. Act. 17,26; Hebr. 11,12

"Et ut ita". Item prefert eum leviticis, quia et ipsi, qui postmodum decimaverunt populum, ab illo quodam modo decimati sunt Abraham patre eorum ab ipso decimato, in cuius tunc lumbis erant. Et hoc est "et ut ita dictum sit", id est et ut ita dicam, per "Abraham" patrem eorum decimatum, "et", id est etiam, "Levi", qui videlicet postea "decimas accepit", id est populum decimavit, "decimatus est" ab illo.

"Adhuc enim". Et bene dixi, ut ita dictum sit, quia Levi "adhuc erat in lumbis patris" sui Abrahe, "quando" videlicet "Melchisedech obviavit", id est venit obviam illi. Videtur autem et idem de Christo fortasse dici posse, cum ipse de semine Abrahe sit sicut et Levi. Quod nequaquam potest, quia, quamvis sit ex semine Abrahe, non tamen in lumbis eius fuit. Quod exquisite dictum est ab apostolo. Illi enim in lumbis, qui sunt sedes luxurie—unde dicitur: Precingite lumbos vestros[1218] [a]—tantum fuerunt, qui inde per concupiscentiam venerunt. Et omnes preter Christum per carnis concupiscentiam descenderunt ab illo, etiam mater ipsius. Ipse vero non inde per coitum venit, cuius quidem verbum principium fuit.

"Si ergo consummatio". Melchisedech multis modis commendato, in quo apparet magnum illum esse, qui per talem prefiguratus est, ad Christi transit sacerdotium, de quo incepit, quod ex toto levitico vult preferre et leviticum ex toto cassare.

Quia in propheta non sine causa quidam sacerdos magnus a David[1219] promissus est successurus non secundum Aaron, non secundum Levi, iure iurando etiam confirmatus, quia iuravit Dominus et non penitebit eum: Tu es sacerdos in ęternum secundum ordinem Melchisedech, queritur, an dignius fuerit sacerdotium Melchisedech levitico.

Philosophus: Dignius quidem fuit in speciebus, que et nostri sunt sacrificii, etsi in alio fortasse efficacius non fuerit.

---

[a] unde—vestros] *inter lineas*

[1218] Luc. 12,35 [1219] Psalm. 109,4

Et attende, quod *tu es sacerdos in ęternum secundum ordinem Melchisedech,* quod ad Christum applicat apostolus, hebrei ad Messiam, quem expectant, accommodant. Nec dicunt se ibi habere, ut supra memini: tu es sacerdos, immo: tu es minister Dei secundum ordinem Melchisedech. Et est tale secundum illos, acsi de suo ita dicatur Messia: Tu in sanctitate emines ad modum Melchisedech. Illi enim Melchisedech pro sanctissimo habent. Et dicunt hebrei, quia et duos habebunt Messias, unum quidem minorem de tribu,[a] qui et prius veniens morietur—de quo dicitur, ut aiunt: Et sicut ovis ad occisionem ducetur[1220]—alterum vero maiorem ex tribu Juda, qui, ut inquiunt, non moriturus reducet eos in terram suam et legem in vigore pristino restituet.

Sic litteram lege intermittens *ergo* ad sequentia hoc modo, acsi diceret: Christus ita factus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Sed "si consummatio erat per leviticum sacerdotium", id est si leviticum sacerdotium perfectum et consummatum faceret hominem, hoc est: si ad vitam duceret ęternam—quod quidem videbatur, quia "populus sub ipso" legem accepit[b]—"quid adhuc" etc. Hic ergo intermissum pone, acsi ita dicatur: Ergo quero: "quid" videlicet "adhuc necessarium fuit" etc. Hoc est, si in levitico sacerdotio consummatio esset, rationabiliter queritur, quare alius venerit sacerdos secundum ordinem Melchisedech dictus et non[c] secundum ordinem leviticum.

"Translato enim". Et bene dixi:[d] Quero, quid adhuc necessarium fuit, quia videlicet "translato", levitico videlicet, "sacerdotio", quod lex precepit, "necesse est", id est certum est et legis translationem fieri. Sed translatum est sacerdotium, quod probat per quod subiungit dicens: "In quo enim" etc. Infra vero conclusionem ponit de translatione legis ibi: "Reprobatio quidem" etc. Et vere translatum

[a] tribu] *sequitur vacuum unius verbi spatii* [b] accepit] *sequitur vacuum dimidiae partis lineae* [c] non] *inter lineas* [d] dixi] *inter lineas*

[1220] Is. 53,7

est sacerdotium, quia "in quo hec dicuntur", id est de quo dicuntur ista, "de alia tribu fuit" quam de levitica. "De qua" videlicet "nullus" etc., id est nullus sacerdos factus est ante Christum.

"Manifestum enim". Vere de alia tribu, quia "manifestum est", id est omnibus palam est, "quod" videlicet "ex Juda" etc., id est ex tribu Juda natus sit Dominus. "In qua tribu", id est de qua tribu, "nichil" etc., id est nullam mentionem ad sacerdotium Moyses invenitur fecisse.

Est autem questio inter doctores ecclesie, de qua tribu fuerit Dominus. Origenes[1221] enim dicit, quod tantum fuit de tribu sacerdotali nec aliter, inquid, dicendus est filius David quam filius Joseph, hoc est filius putativus. Divise namque, ut ipse astruit et sicuti verum est, tribus erant. Et secundum singulas tribus funiculis etiam terra partita est. Et ne altercationes fierent in tribubus, si diverse tribus per matrimonium iungerentur et ita hereditas de una tribu in aliam transieret, hoc Dominus dedit illis consilium, ut unusquisque de sua tribu uxorem duceret. Postmodum tamen, cum preceptum fuerit, permixte sunt tribus in matrimonio. Quod fortasse non recipiebat Origenes. A quo ex toto dissentimus astruentes econtra Dominum tantum esse de tribu regali et nullo modo de sacerdotali. Alioquin, quod dicit apostolus, nimis esset invalidum, dicens eum de alia esse tribu, per quod probat sacerdotii translationem. Que probatio frivola esset, si de tribu etiam fuerit sacerdotali.[a]

Quod autem dicitur,[b] quod Maria mater Domini fuerit cognata Helizabeth, que revera fuit de tribu sacerdotali, quam ewangelista[1222] testatur fuisse de filiabus Aaron, non quod de eadem tribu essent, hoc dictum est, sed quia de eodem populo. Tale est enim illud, quod dicit apostolus: Israelite, cognati mei.[1223] Quos cognatos appellat, non quod de eadem tribu omnes fuerint, sed quia ad uno patre omnes duxerunt exordium.

---

[a] Alioquin—sacerdotali] *in margine* [b] dicitur] *inter lineas*

[1221] Origenes, *Commentariorum in epistolam B. Pauli ad Romanos lib.* 1 (PG 14,851) [1222] Luc. 1,5 [1223] Rom. 9,3 sq.

"Et amplius". Probavit, quod alius est secundum tribum. Probat quidem, quod alius est secundum ritum. Possit enim et alius esse secundum tribum et easdem tamen tenere hostias. Sicuti Samuel, in quem translatum est sacerdotium, qui non omnino tribum tenens, cum de tribu Levi tantum fuerit et non de Aaron, hostias tamen tenuit leviticas. Et hoc est "et amplius", acsi diceret: Et non solum manifestum est ex tribu, sed "et amplius adhuc manifestum", quod "alius", videlicet est, "sacerdos" ex ritu, "si", id est quia, "exurgit secundum similitudinem Melchisedech", id est sublevatur in sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, non secundum Levi et Aaron.

"Qui", scilicet sacerdos, "non est factus secundum legem" etc., id est[a] non est constitutus secundum opera exteriora legis ad immolandum tauros vel hircos, quod lex que carnalis erat,[b] precipiebat, sed "secundum virtutem", id est secundum virtuosum sacrificium, quod ducit ad vitam insolubilem, id est ęternam, ubi nulla est dissolutio.

"Contestatur enim". Et vere alius secundum ritum, quia "tu es sacerdos in eternum", id est ad vitam[c] ęternam conferendam, et hoc "secundum ordinem Melchisedech", id est secundum ritum illius.

"Reprobatio quidem". Conclusio est, que prenotata est, acsi diceret: Et quia sacerdotium translatum est, quod apparet "contestatur" scriptura[1224] quidem de ipso, quia videlicet
173v ex sacerdote || illo magno a Deo per prophetam promisso, qui alius est tam secundum tribum quam secundum ritum. Et ex hoc quidem manifestum est, quia et "mandati carnalis", id est legis, que de carnalibus instruit, "fit reprobatio" reparato quidem sacerdotio. Et merito, quia in se tanto tempore infirma fuit et imperfecta et post adventum Christi ex toto inutilis in carnalibus suis cerimoniis. Et hoc est "propter infirmitatem", quam semper in se habuit, "et inutilitatem", que in ea fuit post adventum Domini.

---

[a] id est] *inter lineas* [b] que carnalis erat] *inter lineas* [c] vitam] utam

---

[1224] Psalm. 109,4

"Nichil enim". Et bene dixi: Propter infirmitatem, quia ipsa "lex nichil adducit ad perfectum", id est legis nulla fuit perfectio vel in mandatis vel in promissis. Mandatum autem imperfectum fuit sicuti de dilectione, que magis necessaria est sola merens apud Deum. Lex enim non appellat proximum nisi amicum. Unde, cum nos dicimus: Diliges proximum tuum,[1225] intelligentes quemcumque hominem, illi quidem dicunt: Diliges amicum tuum, supponentes: et odio habebis inimicum tuum.[1226] Item in promissis fuit imperfectio, quia in lege nusquam ponuntur in remuneratione nisi temporalia ista. De ęternis enim nulla fit ibi mentio.

"Introductio vero". Nichil ad perfectum adduxit lex in mandato diminuta et in promisso. Sed "introductio melioris spei", id est introducta est per meliorem sacerdotem spes melior, hoc est introductum est[a] testamentum, de cuius obedientia de longe melioribus spem habemus, quia non terrena, sed Deum ipsum in nostra habemus remuneratione. Et hoc est "per quam", videlicet spem, "proximamus", id est accedimus toto desiderio non ad terrena, sed ad Deum in remuneratione habendum.

"Et quantum est". Dixit in proximo:[1227] Introductio melioris spei, id est introductum est testamentum longe excellentius, de cuius obedientia melius sperandum sit, quia per istam introductionem proximamus ad Deum, in quo non solum apparet commendatio Christi, sed etiam, quod[b] eius sacerdotium vel sacrificium iure iurando constitutum est, quia iuravit Dominus, id est firmiter stabilivit, et non penitebit eum, id est non mutabit, quod videlicet de isto stabilivit sacerdotio dicens: Tu es sacerdos in ęternum.

Et hoc est "et quantum est", hoc est: Et preter ea, que dicta sunt, quantum est istud, quod de sacerdotio eius vel sacrificio dictum est, quod videlicet iuramento factum est. Acsi diceret: Magnum est.

---

[a] est] *inter lineas* [b] quod] *inter lineas*

[1225] Matth. 5,43; 19,19; 22,39; Marc. 12,31; Luke. 10,27 [1226] Lev. 19,18; Matth. 5,43 [1227] Hebr. 7,19

"Alii quidem". Et vere magnum est, quia "alii" etc., id est sine iuramento promoti sunt in sacerdotium. Sed "hic", scilicet Christus, "cum iure iurando" sacerdos a Deo constitutus est. Et hoc "per eum", videlicet patrem, "qui dixit ad illum", scilicet Christum, id est, qui in propheta de sacerdotio illius loquens ad ipsum dirigit sermonem ita. Sed primum de iuramento ponit, postmodum vero, quid dixerit, subiungit. Et hoc est "iuravit Dominus", id est stabilivit firmiter, "et non penitebit eum", id est, et quod stabilivit ita, non mutabit. Penitentia enim Dei non est nisi operis mutatio. Unde apostolus: Sine penitentia enim sunt dona et vocatio Dei.[1228] Item in Genesi: Penitet me fecisse hominem,[1229] hoc est: per veniens diluvium, quem feci, delebo hominem, et ita mutabo, quod feci.

"Tu es". Post iuramentum ponit, quid dixerit ad illum. Et hoc est "tu es sacerdos in ęternum", in cuius videlicet manu est vitam dare ęternam.

"In tantum melioris". Et quia introductum est testamentum de spe meliori, per quam ad Deum accedimus, "in tantum" ideo "factus est Jhesus sponsor", id est confirmator "melioris testamenti", id est legis melioris. Vel aliter sponsor testamenti, quia, ut beatus Jeronimus[1230] dicit, ubi nos habemus testamentum, illi quidem pactum habent. Dicitur enim archa testamenti[1231] et archa federis,[1232] quod idem est. Et dicebant archam testamenti, id est pacti, ubi tabule ponebantur, in quibus lex scripta erat, que et eadem archa federis dicebatur, id est archa pacti similiter. Pactum quippe quoddam inter eos et Deum sanccitum erat. Deus enim hec illis dare pepigit terrena. Illi vero Deo pepigerunt obedientiam servare dicentes: Non loquatur nobis Dominus, sed tu,[1233] et det nobis legem et faciemus, quicquid ipse preceperit. Tale est ergo sponsor testamenti, acsi dicat: Promissor pacti melioris, quia ipse nobis paciscitur meliora, quibus eterna promissa sunt bona, que ipse suis spondet electis.

[1228] Rom. 11,29 [1229] Gen. 6,7 [1230] *Commentarius in epist. ad Galatas lib.* 2 c. 3 (PL 26,390); *Liber hebraicarum quaestionum in Genesim* (PL 23,1012) [1231] Num. 14,44 [1232] Cf. Num. 10,33 [1233] Exod. 20,19

"Et alii quidem". Item aliis sacerdotibus Christum prefert, quia illi multiplicati sunt alii aliis invicem succedentes, qui morte prohibente non possunt permanere, Christus vero, qui iam vivit et ultra non moritur,[1234] in ęternum permanet cum suo ęternus sacerdotio.

Continuatio: Et preter ea, que dicta sunt, istud etiam ad Christi spectat commendationem, quia videlicet "alii quidem plures facti sunt sacerdotes", id est multiplicati sunt sibi succedentes in sacerdotio. Et hoc "idcirco, quod morte" etc., id est ideo, quod mors eos permanere prohibebat. Sed "hic", scilicet Christus, "eo, quod manet in ęternum", id est eo, quod ipse sit ęternus, quia, ut dixi, iam vivit et ultra non moritur, "sacerdotium habet perpetuum". Unde suos iuvare poterit, quia etsi amplius in cruce non ponatur, representatione tamen carnis sue, in qua tot sustinuit penas, nos cotidie Patri reconciliat.

Queritur, quid sit per representationem istam nos Deo reconciliare.

Philosophus: Id, inquit, non est aliud nisi Deum in memoria semper habere passionem Filii sui pro nobis factam, ut nostri velit per eam misereri. Cui propter amorem Filii, qui super omnes dilexit eum, hanc dedit efficaciam, ut credentes per eam salvi fiant, sicut et corpori eiusdem hanc vim contulit, ut quicumque, quod et supra meminimus, cum devotione carnem sumunt et sanguinem Domini, aliquod suscipiunt donum. Mansuros enim in ista peregrinatione, ne in via deficiant, confirmat, ut tandem per hoc viaticum veniant ad patriam. Exeuntes vero ita munit, ut nulla postmodum restet eis pena.

Sed queritur, an illi, qui confirmati sunt, meliores sint illis, qui istam confirmationem non habent.

Nequaquam.[196*] Si enim quis haberet dilectionem toto tempore vite sue confirmatam in habitum et alius tantumdem dilectionis haberet, sed facile circa illum mobilis esset, ut

[1234] Rom. 6,9

[196*] Cf. *Sent. Herm.* c. 32 (PL 178, 1750A,1751D)

levi de causa ab eo recederet, si in ea tamen moreretur, eiusdem meriti esset cum illo. Non enim propter diuturnitatem dilectionis vel propter confirmationem carior quis Deo est, nisi qui plus diligit. Illis quippe et qui per totam diem fuerunt in vinea et qui in undecima venerunt hora, singulis unus datus est denarius.[1235] Et quemadmodum Aristoteles[1235a] de disciplinis dicit, quod quedam firmantur in subiecto et quedam non, ita dicimus dilectionem in uno firmatam esse, in alio non, non ideo tamen in isto plus dilectionis esse quam in illo, nec istum apud Deum meliorem esse quam illum propter confirmationem, cum non plus diligat.

"Unde et salvare". Quia videlicet in eternum manet et perpetuum habet sacerdotium, "potest salvare", id est suos salvos facere, "in perpetuum", id est semper, "accedentes", id est faciens nos accedere ad Deum non per taurum immolatum, non per hircum, sed "per semetipsum" hostiam pro nobis immolatam, "semper vivens", id est indeficiens et ideo excellens, "ad interpellandum", id est ad exorandum Patrem pro nobis.

"Talis enim". Acsi diceret: Talem habemus pontificem, ut dictum est, et merito, quia "decebat", id est decens erat, "ut" videlicet "talis nobis esset pontifex, sanctus" in se, "innocens" quantum ad alios, "impollutus" ab omni labe corporis, quia, etsi, ut supra meminimus, maxime libidinis habuerit incentivum, numquam tamen usque ad consensum trahi potuit. Et ne videretur, quod ad tempus innocentiam vel impollutionem haberet, supponit: "segregatus a peccatoribus", id est ex toto a peccato immunis, "et excelsior celis factus", quia anima illius natura angelica longe excellentior fuit.

"Qui non habet cotidie" etc., sicut et ceteri sacerdotes, quia ipse a peccato semper extitit immunis. "Hoc enim". De ultimo procedit, acsi dicat: Et vere non habet cotidie pro delictis populi necessitatem hostias offerre, quia "hoc", id est offerre pro populo, "fecit semel se offerendo", non hircum aut vitulum. Et semel, factum, subaudis, sufficit.

[1235] Cf. Matth. 20,1-16 [1235a] *De cat.* 8, 8b-9a

"Lex enim". Ille quidem non habet necessitatem cotidie offerre prius pro suis delictis, sed ceteri sacerdotes habent, quia "lex constituit homines sacerdotes infirmitatem habentes", id est homines pronos ad peccandum et, qui quandoque peccant, promovet in sacerdotes.

"Sermo autem". Lex illos constituit et tales, tam infirmos. Sed "sermo" etc., id est sermo Dei cum iure iurando sanccitus, || qui videlicet tanto tempore "post legem", id est post 174r
dationem legis factus est a Deo in propheta, qui mille annis post legem fuit, "Filium" Dei constituit sacerdotem "perfectum", id est per omnia consumatum, et hoc "in ęternum", id est ita, ut eius sacerdotio non succedat aliud.

[Cap. 8]

"Capitulum" etc. Hic est quasi divisio huius epistole, cuius parte superiori cum apostolus et maxime rationibus ad Christi comendationem de sacerdotio illius iam multa dixerit preferens ex toto levitico sacerdotio et hoc per magnum illum sacerdotem, ad cuius ordinem factus est, nunc supra eas rationes idem sacerdotium vel sacrificium illius vult etiam figuris legis, in quibus prefiguratum est, comprobare. Quod in secundo tabernaculo, quod erat post primum, quod velamen habebat, in quod pontifex semel in anno ingrediebatur, presignatum est. De testamento etiam illius, de quo supra fecit mentionem, sed nondum rationem attulit vel auctoritatem ad eius confirmationem, affert testimonium prophete, ubi plane aliud promittitur testamentum et unde illi populo aliud testamentum expectandum esse convincit, ut ita non solum alium habeamus sacerdotem vel aliud sacrificium, sed et aliud testamentum. Et hoc est, quod dicit: "Capitulum" etc. Ita hic capitulum pro distinctione sicut alias accipitur. Distinctiones enim dicuntur capitula, veluti capitulum de resurrectione, de passione, de ramis palmarum, ut in ewangeliis, que capitula assignant, quid quo loco querendum sit et facilius inveniendum.

Litteram sic iunge: Hucusque sacerdotium Christi rationibus maxime commendatum est. Sed deinceps "super ea, que dicuntur", id est super eas rationes, que assignate sunt,[a] "capitulum" est, id est quedam distinctio subnectitur ad illud idem legis quidem comprobandum figuris, quod iam rationibus commendatum est.

"Talem habemus". Antequam de testamento in lege promisso vel de sacerdotio illius sive sacrificio in figuris legis significato incipiat, quedam repetit, que de nostro dicta sunt pontifice, ut ad ea competentius accedat. Et hoc est "talem",

---

[a] sunt] *inter lineas*

id est tam magnum, tam potentem, ut dictum est, "habemus pontificem", qui videlicet iam ex multo tempore "consedit", id est in illa vita eminenti requievit cum Patre, cui equalis est per omnia, et hoc "in dextera sedis magnitudinis", id est magne sedis. Sancti enim, etsi sedeant in vita illa, non tamen sedes eorum magna est sicut huius, qui ibi sedet tamquam iudex omnium et ad cuius nutum omnia vult Pater fieri et disponi.

Nota, quod dicit: In dextera, quia, ut supra meminimus, homines eos quidem, quos vel magis diligunt vel quibus maiorem volunt exhiberi reverentiam sive honorem, in dextera collocant. Ita et Deus istum in dextera dicitur collocasse, quia ei tantum honorem iam exhibuit, quod tamen super omnem sublimavit creaturam.

"In celis", id est in vita illa eminenti, que per eminentiam celi[a] designatur. Vel "in celis", id est super omnem creaturam angelicam.

"Sanctorum minister". Acsi diceret: Et quamvis in celis sedeat, tamen est "minister sanctorum", id est nobis ministrat dona, que nos sanctificant. Vel "minister sanctorum", id est electis suis ministrat ea, que necessaria sunt, cum quibus, etsi corpore absens sit, spiritu tamen presens est iuxta illud, quod ait: Et ero vobiscum usque ad consummationem seculi.[1236] "Et" tandem minister "veri tabernaculi", id est veram vitam, que per tabernaculum secundum figurabatur, sanctis suis ministrabit.

"Quod", scilicet verum tabernaculum, "fixit Deus", et per hoc immobile, quia vita illa ex toto immobilis est et indeficiens, quam electis suis daturus est Deus. "Et non homo". Fixit, dico, Deus, "et non homo", sicuti Moyses, cuius tabernaculum fragile fuit et mobile. Tabernacula enim sunt mobiles mansiones, que de loco ad locum transferuntur, in quibus manebant filii Israel in deserto, quas et secum deferebant, quocumque ibant, qui tandem templum in terre promis-

[a] celi] *inter lineas*

[1236] Matth. 28,20

sionis firmam et stabilem mansionem relictis habuerunt tabernaculis. Ita et nos, quamdiu vivimus in hoc mundo, in tabernaculis sumus, mobiles habentes mansiones, donec ad templum veniamus a Salomone, id est a vero nostro pacifico nobis edificatum, id est donec vitam illam immobilem et indeficientem, quam Christus firmam mansionem et stabilem membris suis conferet, assequamur. Et attende, quod quamvis tabernaculum nota sit mobilis mansionis, propter adiunctum tamen bene ponitur ad illam mansionem, que ab omni defectu privata est, significandam, cum tamen rectius templum poneretur.[a]

"Omnis enim". Ad superiora respicit hec littera, acsi diceret: Et bene dixi: Se offerendo pro populo, quia "omnis pontifex constituitur", id est in episcopum promovetur, "ad offerendum munera et hostias", id est munera, que sunt hostie. Vel "munera" quantum ad preces, "hostias" quantum ad victimas.

"Unde necesse". Quia videlicet omnis pontifex constituitur ad offerendum, "necesse est et hunc" pontificem, scilicet Christum, "habere aliquid", id est quiddam magnum et aliud etiam sacrificium, sicut et ipse alius est sacerdos ceteris precellens,[b] "quod" videlicet "offerat" Deo pro populo.

"Si ergo". Et quia alius est pontifex non solum secundum ritum, sed et secundum tribum, ergo "si esset" nunc "super terram" corporaliter, "nec esset sacerdos", id est, etiam in populo illo non esset sacerdos, quod minus est, nedum quidem pontifex, "cum" videlicet "essent, qui offerrent secundum legem munera", id est, qui venientes ex tribu Levi ita secundum legem possent offerre munera. Illi, dico, qui "deserviunt", id est vacant, "exemplari". Exemplar autem dicitur et id, quod ad similitudinem fit alterius et ad cuius similitudinem fit aliquid. Hic autem pro similitudine accipitur. Umbra vero obscura dicitur similitudo. Tale est ergo, quod dicit exemplari et umbre, acsi dicat: Obscure similitudini, hoc est obscuris figuris, que nostra figurabant

---

[a] Et attende—poneretur] *in margine* [b] precellens] *in margine*

sacrificia. Heę autem figure obscure erant. Ille enim in sacrificio Melchisedech manifestiores erant, quia ibi eędem retente sunt species, que et in nostro sacrificio. Et hoc est "qui deserviunt exemplari et umbre", id est obscuris figuris imolando taurum, hircum et vitulum.

Et quorum sint figure, supponit "celestium", id est carnis et sanguinis Domini, que sunt superiora et omnibus aliis sacrificiis eminentiora. Vel "celestium", id est corporis et sanguinis Domini, que iam sunt in celestibus.

"Sicut". Acsi diceret: Bene posui exemplar pro similitudine, quia et ita positum est in verbis illis, que responsa sunt Moysi,[1237] qui, cum de consumatione tabernaculi consuleret Dominum, nesciens, si ibi plura voluisset fieri, dictum est ei, ut ad exemplar faceret, quod ei in monte ostensum est. Dominus enim corporales figuras illi ostenderat vel archetipum tabernaculum ei in mente inspiraverat, ad cuius similitudinem[a] illud fecisse tabernaculum foris construeret. Et hoc est "sicut Moysi responsum est, cum consummaret tabernaculum", id est, cum de consumatione tabernaculi consuleret Dominum. Cui inquit Dominus ita: "Vide", id est attende, "et facito", id est operare, "omnia" in edificatione tabernaculi "iuxta exemplar", id est similitudinem, que videlicet ostensa est tibi in monte.

"Nunc autem". Modo ad ea, que diximus, accedit, et primum de testamento ponit, quod promissione prophete monstrat revera huic populo fuisse expectandum.

Continuatio: Illi deserviunt exemplari et umbre. Sed "nunc" iste "sortitus est", id est per sortem, hoc est per dispositionem Dei adeptus est, "melius ministerium", id est melius sacrificium. Tanto, dico, melius, "quanto et" ipse "melioris testamenti", id est melioris legis "mediator", id est dator est, ex cuius videlicet obedientia nos Deo reconciliat.[b]

---

[a] similitudinem] similimitudinem [b] ex cuius—reconciliat] *in margine*

[1237] Exod. 25,40; Act. 7,44

"Quod in melioribus". Quomodo melioris, exponit. Et hoc est "quod", scilicet testamentum "sancitum", id est confirmatum est, hoc est firmiter stabilitum, "in melioribus repromissionibus", hoc est in promissione eternorum bonorum sepius promissorum.[a]

"Nam". Vere melioris testamenti. Quod inde apparet, quia, "si prius" etc., id est, si prius testamentum mundasset hominem a peccato, "non utique" etc., id est re vera in aliquo loco scripture nullatenus a Deo, cum non esset necessarium, promitteretur secundum. Sed promittitur in propheta[1238] ita, quia videlicet Dominus "vituperans eos", id est iudeos, quia nec primo obedierunt testamento, ut iam ostendet, "dicit" tamen de secundo, ubi perfectiora sunt mandata, quod illis dabit, quia satis erunt, qui illi obediant, etsi illi primo non obedierint. Dicit, dico, hoc modo: "Ecce", id est sine tardatione. Quamvis enim mille annis ante Christi adventum dictum fuerit: veniet et non tardabit,[1239] ille utique non tardavit. Tardare enim est differre venire eo tempore, quo venire convenit. Eum vero tardare non dicimus, qui venire non differt, quando venire oportet.

"Dies venient", id est testamentum succedet priori, unde ita vos instruam, quod illuminabo vos, qui hucusque quasi in tenebris fuistis. Et vere dies, quia consumatum et perfectum dabo vobis testamentum. Et hoc est "et consummabo testamentum novum", id est novum testamentum dabo consumatum, hoc est perfectum, "super domum Israel et super domum Juda". Divisim dicit apostolus, quia eam in illo populo notat divisionem, que post mortem Salomonis facta est. Eo enim mortuo et filio illius Roboam in regno constituto venit populus volens, ut, que a patre suo cum rigore facta erant, ipse quidem alleviaret et aspere facta mitigaret. Senes autem super hoc consuluit, qui laudaverunt, ut, cum novus esset populo, concederet, quod postularet, quod post-

---

[a] promissione—promissorum] *in margine*

[1238] Jerem. 31,31 [1239] Habac. 2,3

modum in regno confirmatus facile posset ad nutum suum applicare.[1240] Deinde vero a iuvenibus super eadem re quesivit consilium, qui dixerunt: Id, quod laudant, nullatenus fiat. || A quibus accepto consilio populo iterum venienti ait: 174v
Numquid digitus meus minimus maior est dorso patris mei? Si pater meus verberavit vos virgis, ego quidem verberabo vos scorpionibus et aggravado manum meam super vos.[1241] Populus autem id audiens dixit sibi invicem: Quid nobis cum filio Ysai?[1242] Et tunc omnes tribus recesserunt ab eo et Jeroboam servum Salomonis in regem constituerunt, preter tribum Juda, de qua Roboam erat, que sola remansit cum illo.[1243] Quod autem dicit: Super domum Israel, illos intelligit, qui in Jeroboam erant; quod vero super Iuda, eos quidem, qui cum illo remanserunt.

"Non secundum testamentum". Dabo, dico, testamentum et "non secundum testamentum", id est non secundum efficaciam illius testamenti, "quod feci", id est dedi, "patribus eorum". Et hoc "in die". Non simpliciter diem dicit, quia tempus notat, acsi diceret: In tempore illo, in quo "apprehendi". Ad modum apprehendentis manum infirmi, ut eum iuvet, loquitur. Deus enim ita, ut eos iuvaret, quasi manum eorum apprehendit, tamquam infirmorum, qui ex se exire ab Egipto non poterant. Et eduxit eos in manu forti.[1244]

Et attende, quod, antequam exirent, pasca celebraverunt de agno, ubi lex primum incepit, quod hic notat, in cuius esu mare transierunt, unde et pasca transitus dicitur, et in nocte illa a peste Egiptiorum liberati sunt, quia Dominus transiens per Egiptum invenit postes litos sanguine agni;[a] et nichil mali eis accidit, cum tota Egiptus plagis fuerit percussa.

"Quoniam ipsi". Acsi diceret: Et unde vituperans eos? Inde videlicet, "quoniam ipsi non permanserunt", id est non

[a] agni] *in margine*

[1240] 3 Reg. 12,7 [1241] 3 Reg. 12,10 sq., 14 [1242] 3 Reg. 12,16
[1243] 3 Reg. 12,20 [1244] Cf. Exod. 13,3,9; Deut. 5,15; 6,21; 7,8

obedierunt preceptis meis, que ego tradidi illis. Et ideo "ego neglexi", id est contempsi eos, "dicit Dominus", in cuius manus horrendum est incidere.[1245]

"Quia". Et vere novum dabo testamentum, quia "hoc est testamentum, quod disponam", id est ex dispositione mea conferam, "domui Israel", id est filiis Israel. Et cum hic per se ponatur Israel sine Iuda, per Israel totus populus designatur. "Post dies illos", id est post tempora illa a me ordinata, "dicit Dominus", cui credendum est: "Dabo". Hoc est, inquam, testamentum, quod disponam, quod videlicet "dabo leges meas", id est mandata mea, "in mentem eorum", id est ita, ut precepta mea intelligant. Acsi diceret: Hanc legem meam novam non ponam in tabulis ut priorem vel in maenbrana, sed in mente illorum, sicuti postmodum in mente apostolorum, qui ex illis primum assumpti sunt, quibus in monte, ubi magnam partem novi tradidit testamenti, ait: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. Et beati illi et illi etcetera.[1246] Que omnia cum intellexerint, eos intellectorum fecit memores mittens eis postmodum Spiritum Sanctum, qui, inquit, docebit vos non solum omnem veritatem,[1247] sed et in omnibus confirmabit.[1248] Et hoc est "et in corde eorum" etc., id est non solum faciam eos leges meas datas intelligere, sed et intellectas firmiter cordibus illorum inherere, ut semper earum sint memores. Et hoc est "superscribam eas", id est faciam eas in cordibus illorum permanenter, quia, ut beatus dicit Jeronimus,[1249] quod loquimur, transit, quod vero scribimus, permanet. Et ideo per superscriptionem istam vehemens notatur permanentia, ut videlicet illi non solum intelligant mandata, sed et firmiter teneant intellecta tamquam in cordibus scripta. Quod in epistola ad Romanos de gentibus etiam diligenter apostolus exprimit dicens huiusmodi legem non habentes ipsi sibi lex sunt, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.[1250]

[1245] Hebr. 10,31 [1246] Matth. 5,3 sqq. [1247] Joh. 16,13 [1248] Cf. 2 Cor. 1,21 [1249] *Moralium lib.* 33 c. 3 n. 7 (PL 76,672) [1250] Rom. 2,14 sq.

"Et" ita "ero illis in Deum", id est ipsi[a] pro Deo suo recognoscent me. "Et ipsi erunt michi in populum", id est ego eos recognoscam pro populo. "Et non docebit". Acsi diceret: Et post dationem legis meę non erit necessarium, ut alius legislator veniat, qui proximum suum doceat, quia quicquid erit homini ad salutem necessarium, in mea continebitur doctrina. Quod enim apostoli vel sequaces eorum saluti necessarium scripserint, totum ab ewangelico habuerunt fundamento. Et hoc est "et non docebit" etc. Separativam intelliges hoc modo: "Et unusquisque non docebit proximum suum", acsi dicatur: Nullus "docebit" etc. Hoc est: non erit necessarium, ut supra doctrinam meam alius alium instruat. Quod replicat aliis verbis subnectens: "et unusquisque" etc., id est nullus docebit "fratrem suum dicens", id est non erit necessarium, ut supra legem meam docens quis alterum dicat: "Cognosce Deum", quod debet in fundamento salutis hominis primum poni. Et quare non erit necessarium, causam subponit. Quia videlicet "omnes scient" etc., id est universi tam minores quam maiores ex lege mea, quam dabo consummatam, de me poterunt notitiam habere et quecumque eis ad salutem necessaria.

"Quia propitius". Ad superiora respicit, acsi dicatur: Dixi: Ero illis in Deum et ipsi erunt michi in populum. Et quomodo? Hoc quidem modo, quia videlicet primum "propitius" etc., id est per propitiationem, hoc est per misericordiam meam eorum remittam iniquitates. Quod exponit "et peccatorum" etc. Vel unum refer ad actuale, alterum ad originale.

"Dicendo autem" etc. Post testimonium prophete redeunt verba apostoli, qui, cum ex eo testimonio ostenderit aliud revera huic populo testamentum expectandum esse, ex ipso procedit testimonio, ex eo quidem, quod novum dixit, per quod dicit prius vetus esse monstrari. Et hoc est "dicendo", acsi diceret: Dominus dixit per prophetam: Novum dabo testamentum. Sed "dicendo novum veteravit prius", id est prius testamentum vetus esse monstravit. Et cum ita vetus

---

[a] ipsi] *inter lineas*

sit, ad modum veterum rerum palam est ipsum interire, id est deficere, cuius quidem interitus sive defectus non est, nisi quod ei amplius obedientia aliqua non exhibeatur. Et hoc est, quod supponit "quod autem" etc., acsi dicat: Et cum vetus sit, iam deficit, quia omne, "quod antiquatur," quantum ad inanimata; quercus enim, cum senuerit, in se etiam deficit et quodam modo moritur, quia vetustas omnia consumit. "Senescit", quantum ad animata. Tale autem est illud Aristotilis: Antiquius et senius dicitur, quorum unum ad inanimata, alterum vero spectat ad animata. "Prope ad interitum est", id est properat ad defectum.

[Cap. 9]

"Habuit quidem". Veteravit prius, quod modo nullam habet obedientiam, sed tamen et prius quidem testamentum, quod nunc vetus est, "habuit" statu illius manente "iustificationes culture", id est culturas quasdam magnas,[a] que figure erant nostrarum iustificationum. "Et sanctum seculare", id est sacramenta magna, sed tamen secularia, id est mobilia, quia, que seculi sunt, maxime in motu sunt.

"Tabernaculum enim". Ecce post testamentum novum revera illis expectandum promissione prophete accedit ad sacerdotium Christi sive ad sacrificium illius, que in lege, ut diximus, prefigurari ostendet.

Continuatio: Vere habuit iustificationes culture, quia tabernaculum habuit primum et secundum, que cum sub uno tecto essent, diversa tamen dicebantur tabernacula solo velamine interposito illa disiungente, sicut et nos diversas ęcclesias sive diversas terras dicimus pro diversitate aliqua, cum tamen una terra, una sit ęcclesia.

Et hoc est quia "tabernaculum sanctum primum". Sanctum appellatur, quia non minima ei exhibebatur reverentia vel propter presentem ęcclesiam, quam significabat, ubi sancti efficiuntur, quos ipsa in secundum transmittit tabernaculum, id est in mansionem celestem, que per secundum tabernaculum, quod erat post velamen, prefigurata est, quia et ipsa adhuc nobis velata est. Ut enim ait apostolus, vita nostra abscondita est in Christo, in Deo.[1251]

Item supra: Et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi introivit Jhesus,[1252] id est usque ad vitam illam, que sursum est, nobis adhuc velatam, quam secundum tabernaculum, quod erat post velamen, prefigurabat. Et sicut in primo tabernaculo omnes communiter conveniebant, ita in ęcclesia

[a] magnas] *inter lineas*

[1251] Coloss. 3,3 [1252] Hebr. 6,19 sq.

presenti per illud designata omnes communem habent introitum, ubi electi et reprobi permixti sunt, donec tandem in fine seculi palea a granis in adventu iudicis separetur.

"In quo", scilicet tabernaculo primo "erant candelabra". Cum unum esset candelabrum, pluraliter tamen dicit propter diversa brachia illius, ubi diversa poterant poni luminaria. "Et mensa". Mensam vocat altare, quod erat ad hostium, ut aiunt, tabernaculi. Et super mensam istam erat "propositio panum", id est XII panes de simila propositi ad esum sacerdotum, qui calidi a sabato positi[a] ibi usque ad aliud manebant sabbatum. "Que", scilicet propositio panum "dicitur sancta", quia panes illi Deo erant consecrati, vel quia ab esu comunium panum remoti erant.

"Post velamentum autem". In primo tabernacula ista erant, sed "post velamentum", id est post velamen erat "secundum tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum", quia in maxima habebatur reverentia propter maiora sacra ibi posita. Vel ita vocabatur propter rem significatam, id est vitam illam eminentem, que exuperat omnem sensum, que, quanta sit, nemo scit, nisi in ipsa rei experientia.

"Habens aureum thuribulum", ubi thura cremabantur. "Et archam testamenti", ubi videlicet tabule testamenti ponebantur. "Et circumtectam", id est undique deauratam. "In qua", scilicet archa, "erat urna aurea habens manna". Deus enim illis preceperat, ut plenum gomor in memoria illius beneficii mirabilis ad laudem ipsius reservarent.[1253] "Et virga Aaron, que fronduerat", id est que divino miraculo floruerat in electionem Aaron, cum a singulis tribubus virga una poneretur, ubi ea sola florem protulit.[1254] "Et tabule testamenti". Ecce quasi proprio vocabulo tabulas testamenti notat ibi positas, cum et inde, ut diximus, archa testamen-
175r ti diceretur, que ta || bulas illas continebat.

Attende tamen, quod, ut liber paralepomenon[1255] astruit et

---

[a] positi] *add. et del.* manebant

[1253] Cf. Exod. 16,32 [1254] Cf. Num. 17,8 [1255] 2 Paralip. 5,10

liber Regum,[1256] nichil in archa erat preter tabulas testamenti. Sed fortasse postmodum propter persecutiones ea, que maioris pretii apud illos erant, ne perirent, ibi recondiderunt. Vel etiam propter significationem proinde sunt ibi recondita.

"Superque eam". Acsi diceret: Talis erat archa et talia in ea ponebantur. Et "super eam", id est super archam erant "cherubin glorie", id est due imagines gloriose et decore facte cherubin representantes, que alis suis se contingentes mensam obumbrabant. Et hoc est "obumbrantia propitiatorium". Mensa enim, ut aiunt, super archam erat eiusdem longitudinis et latitudinis cum archa. Super quam mensam ille due imagines erant undique eam obumbrantes. Que et propitiatorium dicebatur, quia angelus a Deo missus super mensam illam illis prospera anuntiabat et responsa eis dabat. In quo Deus erat illis propitius. Hebrei itaque de imaginibus nos arguere non possunt, cum et eos constet imagines habuisse, etsi nullam tamen habuerint imaginem, que Deum representaret.

"De quibus" etc. De multis iam dixit apostolus. Ne lector quidem singulorum hoc loco significationem expectaret, dicit ad presentem non pertinere tractatum, ut per singula currat et singulorum significationem apperiat. Et hoc est "de quibus", que videlicet docta sunt, "non est dicendum per singula", id est singulorum, que iam dicta sunt, significationem aperire ad presens non spectat negotium.

"His vero". Acsi diceret: Non est dicendum per singula, sed de primo tabernaculo et de secundo dicere ad presentem pertinet tractatum, et de pontifice etiam, qui semel in anno secundum ingrediebatur tabernaculum, qui nostrum prefigurabat pontificem. Et hoc est sed "his ita compositis", id est dispositis de primo et secundo tabernaculo, "in priori quidem tabernaculo", id est in primo tabernaculo, quod significabat presentem, ut diximus, ęcclesiam, quam intrare omnibus licet, "semper", id est cotidie, "introibant sacer-

[1256] 3 Reg. 8,9

dotes consummantes", id est perficientes, "officia sacrificiorum", id est ipsa sacrificia iuxta suum officium.

"In secundo". In illo cotidie intrabant sacerdotes, sed "in secundo", scilicet tabernaculo, quod celestem significabat mansionem, "semel in anno solus" intrabat "pontifex". Et hoc "non sine sanguine", id est non sine effusione sanguinis. "Quem", videlicet sanguinem, ipse quidem "offerret pro sua" etcetera. Ignorantiam peccatum appellat, propter quod dicimur a Deo ignorari, quia Deus nos non approbat sua dignos notitia, iuxta illud: Nescio vos,[1257] id est non iudico vos mea dignos notitia. Pontifex iste, qui semel per annum intrabat secundum tabernaculum, Christum prefigurabat, qui semel ingressus est mansionem ęternam, que per secundum significabatur tabernaculum, cum hostia sua immolata, quam ipse imolabat pro sua et populi ignorantia. Populi autem erat per noxam et culpam propriam, sua vero per expiationem. Unde ipse ait: Verba delictorum meorum[1258] delicta suorum sua reputans, qui, quod deliquimus, expiavit, quia peccata nostra in corpore suo ipse portavit.[1259]

"Hoc", id est per hoc, hoc est per secundum tabernaculum, quod erat post velamen, "Spiritu Sancto significante", id est prefigurante, "viam sanctorum", id est celestem mansionem, que electorum Dei est. Quam viam appellat, non quia per ipsam veniatur,[a] sed quia illuc perveniendum est. "Nondum propalatam", id est nondum manifestatam esse homini. "Adhuc priore" etc., id est quamdiu in presenti consistit ęcclesia, que per primum designabatur tabernaculum.

"Que parabola est instantia temporis", id est, que parabolice et figurative[b] dicta ad presens pertinent tempus, quia pontifex ille pontificem temporis gratie, quod modo instat, prefiguravit. Primum vero tabernaculum presentem ęcclesiam, que huius temporis est, secundum quidem tabernaculum celestem illam ęcclesiam significavit, quam noster pon-

[a] veniatur] *inter lineas* [b] figurative] figurature

[1257] Matth. 25,12 [1258] Psalm. 21,2 [1259] Cf. Is. 53,11

tifex in hoc ingressus est tempore, que, quamdiu in presenti sumus ęcclesia, nobis abscondita est.

"Iuxta quam", scilicet parabolam, "munera et hostie", id est munera, que hostie sunt, in lege "offeruntur", quia hostie ille legis sive taurus sive hircus sive vitulus nostram hostiam misticabant. "Que", videlicet hostie, "non possunt servientem", id est illum, qui his deservit, "facere perfectum", id est reddere in virtutibus consummatum. Et hoc "iuxta conscientiam", acsi diceret: Quod debet conscientia uniuscuiusque sibi astruere, quod videlicet hostie ille nullum potuerint umquam facere consummatum et apud Deum perfectum.

"Solummodo". Vere non possunt perfectum facere, quia "solummodo" sunt "in cibis", scilicet corporalibus, non spiritalibus. Hostie enim ille spiritalem cibum non conferebant, sed tantum corporalem faciebant mundationem.

"Et variis baptismatibus", id est variis ablutionibus. Si enim mortuum vel leprosum tangerent, eos secundum legem mundari oporteret, cum pro tactu etiam huiusmodi lex eos iudicaret immundos, qui nec ante mundationem in societate aliorum reciperentur. "Et iustitiis". Acsi diceret: Et quid irem per singula? "Et iustitiis carnis", id est carnalibus, que videlicet ad corpus, non ad animam pertinebant. Animam enim non mundabant, sed penas corporales exterius removebant. Vel "iustitiis carnis", id est, quas carnales pro iustitiis iudicabant. "Usque ad tempus". Acsi ita dicat: His omnibus, dico, "impositis", id est a Deo constitutis, ut permanerent "usque ad tempus correctionis", id est usque ad tempus gratie, in quo est summa hominis correctio ad Deum, qui per Filium suum omnes corrigit.

"Christus autem". Post figuras ad rem earum transit, id est ad sacerdotium Christi, quod omnino prefert levitico, quia cum multo excellentiori hostia in multo excellentius ingressus est tabernaculum.

Continuatio: Pontifex ille introivit in tabernaculum manufactum. Sed "Christus pontifex futurorum bonorum", id

est gaudiorum futurorum, que per pontificatum eius tandem ingrediemur, "assistens", id est presto est auxilium semper prebere volenti, in quo ab aliis differt pontificibus, qui infirmo semper non assistunt. Iste enim est magnus ille sacerdos, qui invocantibus eum ubique occurrit.

"Introivit", quod infra ponitur, "tabernaculum per amplius", quia celum plurium capax est, quam fuerit tabernaculum illud terrenum, "et perfectius", id est meliorem statum habens, "non manufactum". Quod exponit dicens: "id est non huius creationis", id est non mobile, non dissolubile, sicut illud, quod posuit Moyses. Et hoc "neque per sanguinem hircorum aut vitulorum", sed cum multo meliori hostia, quia "per proprium sanguinem", id est cum proprio sanguine propter nos imolato, "introivit semel", quia, quemadmodum ille pontifex non intrabat sine sanguine, ita nec iste pontifex illud summum tabernaculum sine sanguine ingressus est. "In sancta". Exponit tabernaculum per amplius et perfectius, acsi diceret: Hoc est "in sancta", id est in celi palatia, que sanctis suis dabit iustus iudex,[a] "ęterna", id est indeficientia. "Redemptione". Introivit, dico, sed primum "redemptione" nostra per passionem suam "inventa", id est consummata, quam ipse invenit, id est fieri disposuit per effusionem sanguinis sui.

"Si enim". Redemptione, dico, inventa et hoc per proprium sanguinem. Et bene per proprium sanguinem, quia "si sanguis hircorum et taurorum et cinis vitule aspersus"—ruffam enim vitulam incendebant totam et de cinere illo populus aspergebatur[1260]—"sanctificat", id est purgat, "inquinatos", id est eos, qui secundum legem inquinati sunt, sicuti propter tactum leprosi vel mortui. Et hoc "ad emundationem carnis", id est secundum corporalem mundationem. Anima enim in talibus non mundabatur.

Unde queritur, si per huiusmodi hostias remitterentur peccata.

---

[a] que sanctis—iudex] *inter lineas*

[1260] Cf. Num. 19,2 sqq.

Philosophus: Si peccata,[197*] inquit, pro contemptibus accipiamus, possumus omnino astruere, quod hostie ille nullo modo remittebant peccata. Per eas enim tantum pene corporales relaxabantur debite secundum legem pro factis ipsis, veluti tangere leprosum vel tangere mortuum, que nullatenus peccata erant, que ipsi tamen pro peccatis reputabant. In quo iudaismo nonnulli etiam hodie sunt, qui ipsa facta, ut hominem occidere, adulterari,[a] astruunt esse peccata, nisi qui me audierint, qui solos mentis contemptus peccata esse arbitror.

"Quanto magis". Acsi diceret: Si ita hostie ille quamcumque faciebant mundationem, "quanto magis sanguis Christi" pro nobis effusus, "qui", scilicet Christus, "per Spiritum Sanctum", id est bonitate sua, "obtulit", id est immolavit, Deo non hircum, non vitulum, sed "semetipsum immaculatum", id est ex toto a peccato immunem, "emundabit", id est mundam faciet, etiam "conscientiam nostram". Et hoc "ab operibus mortuis", id est a peccatis, que mortem operantur. Et hoc "ad serviendum Deo viventi", id est omnino ad obediendum Deo, qui semper vivit, id est, qui indeficiens est servos suos potens remunerare.

"Et ideo", ut videlicet illud faceret, "mediator", id est legislator est, "novi testamenti", id est nove legis, ex cuius obedientia nos Deo ipse interveniens reconciliaret. Et non solum per doctrinam istam, sed et per passionem suam nos Deo oportuit reconciliari. Et hoc est, quod subnectit, ne doctrina videretur sufficere, dicens: "ut morte" etc. Acsi diceret: Ita, dico, mediator novi testamenti, ut "morte" etiam ipsius "intercedente", id est interveniente et[b] interpellante ad Deum non solum in redemptionem peccatorum, que erant sub preputio, ubi prevaricatores legis non erant, sed et "in redemptionem", id est ad emundationem, "earum prevaricationum", id est transgressionum, "que erant sub priori testamento", id est, que in illis erant eo, quod legis || 175v

[a] adulterari] adultari [b] interveniente et] *inter lineas*

[197*] Cf. Abaelard., *Ethica* c. 14 (PL 178,654)

Dei obedientiam contempnebant. Et nota, quod prevaricationem hic appellat contemptum, quem in mente habebant, legi Dei, cuius obedientiam susceperant, nolentes obedire.

"Accipiant", id est assequantur, "repromissionem eterne hereditatis", id est ęternam hereditatem repromissam Abrahe et filiis eius. Illi, dico, accipiant, "qui vocati", id est qui primum predestinatione, deinde predicatione vocati sunt: "Ubi enim". Et bene dixi: Morte intercedente, cum testamenti novi mediator fuerit, quia "ubi testamentum est", id est a quocumque fit testamentum, ad confirmationem illius "necesse est", ut videlicet "mors intercedat", id est interveniat, "testatoris", id est eius, qui testatur. Quamdiu enim vivit ille, testamentum ratum non[a] est, quia semper putatur, ut vel mutet vel aliquid addat, cum utrumque sit in arbitrio illius. Ita cum Christus dederit testamentum, quamdiu vivebat, confirmationem non habebat, cum semper putaretur vel mutare vel aliquid superaddere. At vero eo mortuo statim sanccitum est. Acsi ita dicerent fideles: Doctrinam, quam reliquit nobis Dominus, firmiter teneamus scientes, quia nec eam amplius mutabit nec aliquid superaddet. Et ita morte Christi intercedente doctrina ipsius rata facta est.

"Testamentum enim". Et vere necesse est ad sanctionem testamenti, ut intercedat mors testatoris, quia "in mortuis", id est in morte testatorum, "testamentum confirmatum", id est ratum factum est. Et "alioquin", id est nisi intercedat, "nondum valet", id est nondum testamentum firmum est. Et hoc interim, "dum" videlicet ille "vivit", "qui testatus", id est, qui testamentum fecit.

"Unde nec". Per similitudinem de priori inducit testamento, cuius confirmatio sine sanguine facta non est. Acsi dicatur: Nec mirum, si novum testamentum morte Christi confirmatum est, quia nec etiam primum testamentum sine sanguine ratum factum est, id est sine morte alicuius, quia vel animalia immolabantur, quorum sanguine aspergebatur

---

[a] non] *inter lineas*

populus. Et hoc est "unde", id est propter eandem causam, quia videlicet non valet testamentum, quamdiu vivit, qui testatur, "nec primum", id est etiam primum testamentum, non est "dedicatum", id est sanccitum, "sine sanguine", id est sine morte quodammodo testatoris. In illius enim sanctione immolata sunt animalia, in quibus testatio prefigurabatur.

"Lecto enim". Vere non est sine sanguine dedicatum, quia "omni mandato", id est precepto legis, "lecto", id est perlecto, a Moyse et universo populo. At Moyses legebat tamquam magister, populus autem universus audiebat tamquam discipulus. Et ideo possumus dicere ab utroque preceptum lectum esse. Veluti et philosophus legit et discipuli legunt, at ille discipulis, discipuli quidem ab ipso. Lecto itaque omni mandato legis Moyses "accipiens sanguinem vitulorum aut hircorum" et hoc "cum aqua"—aquam enim miscebat sanguini. De lana autem coccinea, id est rubra, et ysopo suum fecit aspersorium. Ista quidem quid significent, minores, qui talibus intendunt, exponere sufficiunt, quorum tamen significationis expositio ad hunc locum apostoli non multum pertinet.

"Ipsum quoque librum", id est etiam librum, ubi lex scripta erat, "et omnem populum", id est omnem tribum de populo illo, "aspersit" de sanguine illo tanquam loco *asperges me*[1261] "dicens: hic sanguis testamenti", id est sanguis iste confirmatio est "testamenti, quod mandavit" etc., id est, quod Deus commendavit vobis.

"Etiam tabernaculum". Et non solum librum vel populum, sed "etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii", id est, que erant ad ministrandum in tabernaculo, "similiter sanguine aspersit", id est intinxit. "Et omnia". Acsi diceret: Et bene dico:[a] Omnia vasa ministerii, quia etiam "omnia" vasa "pene mundantur", id est abluuntur, "in sanguine", et hoc "secundum legem". Pene dicit, quia quedam vasa vili-

---

[a] dico] *inter lineas*

[1261] Psalm. 50,9

oris officii non ad ministrandum in tabernaculo idonea non habebant huius ablutionis dignitatem.

"Et sine sanguinis". Acsi diceret: Et non solum vasa mundantur in sanguine, sed etiam sanguis ita est illis necessarius, quod sine effusione sanguinis nulla fit remissio peccatorum. Et hoc est "sine sanguinis effusione", id est sine sanguine effuso, "non fit" apud illos "remissio", subaudis, peccatorum. Non enim pene ille corporales relaxabantur sine sacrificio animalis.

"Necesse est ergo". Quia videlicet Moyses precipit non solum vasa, sed et tabernacula talibus mundari hostiis,[a] "ergo necesse est", ut preceptum eius compleatur. "Exemplaria", id est tabernaculum, videlicet primum, quod est exemplar "celestium", id est presentis ęcclesie, cuius conversatio in celis est, "his", id est talibus, "mundari". "Ipsa autem celestia". Acsi diceret: Illa, que exemplaria sunt celestium, his mundantur, sed "ipsa celestia", id est presens ęcclesia, "melioribus", id est excellentioribus, mundatur "hostiis" quam "istis", que fiebant secundum legem, quia carne videlicet Christi et sanguine.

"Non enim". Et vere melioribus. Quod inde apparet, quia videlicet "Jhesus" pontifex noster "non introivit in sancta manu facta", id est, non est ingressus tabernaculum ab homine factum, sicuti primum vel secundum, que a Moyse ex cortinis[b] constructa sunt.[1262] Unde subnectit: "exemplaria verorum", id est non introivit tabernaculum, quod esset exemplar veri tabernaculi, ut illi pontifices, sed in rem ipsam ab illis significatam. Et hoc est, quod subiungit: "sed in ipsum celum", id est in ipsam mansionem celestem, verum tabernaculum secundo tabernaculo prefiguratam ingressus est, "ut" ita "appareat nunc vultui Dei" interpellans "pro nobis". Quod non est aliud nisi Deum Patrem semper in memoria eius habere passionem, ut per eam nostri misereatur et nobis velit reconciliari.

---

[a] hostiis] *in margine* [b] ex cortinis] *inter lineas*

[1262] Exod. 26,1 sqq.

"Neque ut sepe". Introivit, dico, in ipsum celum et non tamen ita, "ut" videlicet "sepe", id est plus quam semel, "offerat semetipsum", id est imolet se Deo. "Quemadmodum" etc., id est sicut pontifex legis per singulos annos ingrediens tabernaculum sepe immolabat. Et hoc est "quemadmodum pontifex intrat", id est ingreditur, "in sancta", id est in secundum tabernaculum, quod dicebatur sancta sanctorum, "per singulos annos", et hoc non in suo sanguine, sed "in sanguine alieno", id est in sanguine animalium.

"Alioquin". Dixi: Neque ut sepe se ipsum offerat, quia "alioquin", id est si aliter fieret, ut videlicet sepe se imolaret, "oportebat frequenter pati", id est sepe per passionem mori et hoc incipiendo "ab origine mundi", id est ab initio mundi, si ab origine quidem mundi esset, quia ex tunc peccatores erant. "Nunc autem". Si ita fieret, oporteret eum sepius pati. Sed "nunc", veniens, subaudis, "in consummatione seculorum", id est in fine mundi, "semel apparuit per hostiam suam", id est semel se ipsum immolando mundo revelatus est, et hoc "ad destitutionem peccati", id est, ut non solum peccatum in nobis destruatur, sed et omnis pena removeatur, ut ita, qui meretur, sine omni dilatione transeat ad regnum.

"Et quemadmodum". De una morte Christi adhuc loquitur, de qua similitudinem ab hominibus inducit. Sicut enim homines semel moriuntur et post mortem de eis restat iudicium, id est revelandi sunt omnibus, quales sint in communi iudicio in die illa, ubi omnes omnibus revelabuntur, ita et Christus semel mortuus est, qui tandem, qualis est, mundo revelabitur universo in illa die. Quem qui modo nolunt recognoscere, tunc, velint, nolint, recognoscent, cum omnes Deus scabellum pedum eius posuerit et ipse iudex omnium apparuerit in magna veniens maiestate.

Continuatio: Dixi Christum semel per hostiam suam apparuisse, "et" bene, quia, "quemadmodum" etc., id est sicut a Deo dispositum est hominibus semel mori, et "post hoc", id est post mortem, "iudicium", id est revelatio, quales sunt, de illis superest, "sic et Christus semel oblatus", in sua vide-

licet morte. Simpliciter enim falsum videretur esse, cum cotidie in altari offeratur. Et hoc "ad exhaurienda multorum peccata", id est ad peccata ex toto destruenda. Et bene dicit: Ad exhaurienda peccata, quia ipse in corpore suo nostra exhausit peccata, qui, quod nos habemus in culpa, ipse quidem habuit in pena. Vere, quippe in corpore suo ipse nostros tulit languores.[1263]

"Secundo", id est in adventu secundo, "apparebit", id est revelabitur ex toto, "sine peccato", id est non solum sine culpa, ut prius, sed sine omni pena peccati, quam hic primum propter nos sustinuit. Apparebit, dico, "expectantibus" etc. Vel expectantibus sine peccato, id est illis, qui eum expectant, quantum possunt, sine peccato. Expectantibus, dico, "in salutem", id est, ut per eum salventur. Et hoc "per fidem", sine qua Deo placere impossibile est. Illi
176r autem dicuntur expectare, || qui de adventu illius confidunt, quem credunt sibi proficere.

[1263] Is. 53,4

[Cap. 10]

"Umbram enim". Continuatio: Christus per hostiam suam semel factam exhausit peccata, quod lex non fecit per hostias suas etsi sepius factas et in eisdem speciebus repetitas, quia "lex habens umbram", id est obscuras figuras, "bonorum futurorum", id est corporis et sanguinis Domini, que lege habente statum suum futura erant, "non ipsam" etc., id est non habens ipsam expressam similitudinem, quemadmodum sacrificium Melchisedech, quod, ut supra meminimus, in eisdem factum est speciebus.

"Per singulos annos". Acsi diceret: Etsi per singulos annos id faciat et hoc in "eisdem" etiam "ipsis hostiis", id est hostiis in eisdem speciebus retentis, "quas", videlicet hostias, "offerunt indesinenter", id est immolant incessanter, "numquam" tamen "potest accedentes", id est eos, qui ad huiusmodi accedunt hostias, "facere perfectos", id est tales, ut videlicet a mente eorum per hec sacrificia culpam removeat, etiam penam dilationis illis auferat. Et ita in his duobus ea, quam hoc loco intelligit apostolus, consistit perfectio, quam per passionem Christi assequuntur electi.

Et nota, quod, quamvis illi, qui passionem Christi precesserunt, illam non habuerint perfectionem, perfecti tamen appellantur.

"Alioquin". Et bene dixi: Non potest perfectos facere, quia "alioquin", si videlicet hostie ille ad perfectionem ducerent, "cessassent offerri", id est oblatio earum ulterius cessaret, cum non esset quidem necessaria. Et vere cessassent offerri, "ideo" videlicet, quod "cultores", id est illi, qui cultum quemdam in his adhibent hostiis, "semel mundati" per ipsas "nullam haberent" etc., id est dictante conscientia nullum haberent peccatum, quod ulterius delendum esset. Sed econtra faciunt, quia post unicam mundationem non cessant offerri, cum videlicet singulis peccatis singulas assignent hostias

non aliter credentes posse mundari. Et hoc est "sed in ipsis", videlicet hostiis, "commemoratio peccatorum fit", id est cultores in ipsis immolationibus commemorant peccata pro singulis singulas assignantes hostias, cum non crederent unam hostiam pro singulis sufficere. Et hoc "per singulos annos", quia hesternam hostiam non credebant, quod posset hodierna delere peccata, in quo hostie legis a nostra differunt hostia, quia oblatio Christi in morte sua semel facta sufficiens est ad omne peccatum removendum.

Sed obicitur, quod, quemadmodum hostias illas in sinagoga pro peccato iterari necessarium fuit, ita et cotidiana oblatio Christi ad remissionem peccatorum necessaria est, ut ita non videatur hostia Christi[a] differe multum in efficacia ab hostiis legis.

Philosophus: Heę inquit, cotidiane oblationes vim suam et efficaciam habent ex illa una oblatione mortis Domini, quam nobis in memoriam reducunt et inde amorem imittunt ad modum predicatoris, qui illud idem sua faceret predicatione, et si iste non fierent, nichilominus passione Christi semel facta[b] suam habente efficaciam. Attamen, quod predicator faceret, id ista oblatio expressius notat cotidiana, que non fit nisi ad memoriam mortis Domini et dominice passionis, cuius nos simus memores, iuxta illud veritatis: Hoc facite in meam commemorationem,[1264] et quotiescumque hoc facietis, mortem Domini annuntiabitis,[1265] id est predicabitis.

Attende tamen apostolum, si bene litteram notaveris, non dicere Christum semel in morte oblatum esse, sed simpliciter semel oblatum, quasi in cotidianis non velit oblationibus verum corpus et sanguinem Domini esse, sed eas tantum ad memoriam fieri. Quod Romana non recipit Ęcclesia, que, si quis id crederet, statim in eum tamquam in hereticum irrueret cum lapidibus. Greci, quidem, ut aiunt, quodcumque horum crediderit quis, nichil ad salutem astruunt interesse.

---

[a] Christi] *add.* non [b] semel facta] *inter lineas*

[1264] Luc. 22,19; 1 Cor. 11,24,25 [1265] 1 Cor. 11,26

"Inpossibile enim". Acsi diceret: Et vere lex illis hostiis suis numquam potest accedentes perfectos facere, quia "impossibile est" etc., id est huiusmodi sacrificiis culpam a mente ex toto deleri et penam dilationis omnino in electis removeri, ut, qui meretur, ei statim sine omni dilatione, ut et supra meminimus, pateat aditus regni.

"Ideo", quia videlicet his hostiis impossibile est auferri peccata, "ingrediens", Christus videlicet, "mundum" ait sermonem dirigens ad Patrem in propheta[1266] hoc modo: "Hostiam" in animalibus, "et oblationem" in orationibus et ceteris secundum legum factis, que non erant hostie, "noluisti", id est non placuerunt tibi cessante statu legis et mea adveniente passione. "Corpus autem". Illa noluisti sacrificia, sed tu "corpus aptasti", id est dedisti michi idoneum ad imolandum, ad patiendum, quia mortale, passibile dedisti michi corpus.

"Holocautomata". Vere noluisti, quia etiam pretiosiores hostie non habuerunt penes te pretium, cum et hęę tibi displicerent. Quod enim durante lege placuerunt illi, non placuerunt quidem nisi pro figuris, quia verum prefigurabant sacrificium. Et hoc "holocautomata" etc. Holocaustomata dicebantur quasi tota incensa, que apud illos maioris pretii erant sacrificia. Quedam enim hostie erant, de quibus et Deus partem habebat et sacerdotes partem. Hec autem hostia ex toto Deo dedicata erat, ubi nullus nisi Deus participabat, cui tota dabatur incensa, ut quasi ad fumum ponens nasum ita placaretur tamquam bonum odoratus incensum. Et "pro peccato", id est hostia pro peccato. Apud illos enim quedam erant hostie pro gratiarum actione, quedam vero ad virtutes a Deo impetrandas, alie, que fiebant, quas pro peccato esse dicebant. De quibus hoc loco dicit: Et "pro peccato", hoc est hostie, que fiebant pro peccato, magne auctoritatis apud illos, "non placuerunt tibi", ut pro figuris etiam amplius fierent, cum videlicet iam vera venerit hostia. Veniente quippe veritate debuit cessare umbra. "Tunc dixi". Quia videlicet noluisti, non tibi placuerunt, "tunc", id est

[1266] Psalm. 39,7 sq.

statim, "dixi", ad te videlicet, Patrem: "Ecce venio", id est ecce paratus sum ad immolationem corporis mei, quod michi aptasti venire, ut videlicet meipsum imolem, sicut a te ordinatum est.

"In capite". Et bene dixi: Ecce venio, quia "in capite", id est in principio illius "libri", hoc est[a] psalterii, ubi hec de me dicta sunt, "scriptum est" quidem "de me", Filio, "ut", videlicet "Deus" Pater, "faciam", id est exequar, "voluntatem tuam", id est, quod de me dispositum fieri approbasti.

Nota sanctos hoc loco astruere, quod holocaustomata et ceteras hostias pro figuris tantum et quasi coactus illis concesserit Dominus, ut eos in his occuparet, qui proni erant ad idolatriam venire. Voluit ergo illos in his occupatos esse sacrificiis, ut et sibi cultum quemdam preberent et occupatione istorum non facile ad gentes devolarent. Ita et in primitiva ęcclesia quadam dispensatione factum est, que nobis, qui gentiles eramus, loco imaginum Jovis, Iunonis, quas primitus faciebamus, sanctorum imagines concessit diversas facere, qui hodie Petrum apostolum clavigerum pingimus claves in manu tenentem et ceteros quoque sanctos iuxta eorum dignitatem. Et hec quidem causa fuit, ne videlicet ad ritum gentilitatis, ubi nati et ideo redire proni, in his detenti facile rediremus. Sed modo in his imaginibus, ultra quam oporteat simplices fiduciam habent, quas amodo cessare fortasse quidem bonum esset, que quandoque decreto alicuius discreti hominis interdicentur. Legitur autem et a quibusdam sanctis interdictas esse, sicuti ab Epiphanio, qui per episcopatum transiens videns imaginem salvatoris in velo, velum ex toto dissipavit. Alius etiam tabulas ad se quidem missas reclusum fregit, quem beatus tamen in suo dialogo arguit Gregorius,[1267] de quo quodam loco supra meminimus.

"Aufert" etc. Verba redeunt apostoli, acsi diceret: Et quia

---

[a] est] *inter lineas*

[1267] Cf. Gregorius, *Epistolarum lib. IX Indict.* II ep. 15 (PL 77, 1027C); *Ibid.*, IV ep. 13 (PL 77,1128)

ita in predicto testimonio locutus est Filius ad Patrem dicens: Noluisti, non tibi placuerunt, in his utique verbis "aufert primum", id est Deus primum removet testamentum, "ut" ita "statuat sequens", id est illud testamentum, quod sequi disposuerat, firmiter deinceps ponat, ut eo remoto amplius teneatur.
"In qua voluntate". Dixit: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. "In qua" quidem "voluntate" Dei "sanctificati", id est mundati sumus a peccatis amore quidem per passionem Filii inmisso et in cordibus nostris dilatato. Et hoc est, quod subiungit: "per oblationem corporis Jhesu Christi", que amorem nobis immisit, etsi "semel" videlicet factam.

"Et omnis quidem" etc. Dictum est nos sanctificatos esse per oblationem corporis Domini semel factam, in quo quanto excellentius sit sacerdotium Christi illo legis || sacerdotio 176v
manifestum est, quia, cum omnis sacerdos secundum legem constitutus sacrificet et cotidie et in eisdem hostias immolet speciebus, ille tamen hostie peccata auferre nequeunt, que oblatio Christi semel facta ex toto delevit.

Continuatio: Oblatio Christi semel facta est. Sed in lege quidem "omnis" etiam "sacerdos presto est", id est paratus est, "cotidie ministrans", id est ministerium sacrificii cotidie consumans. "Et easdem" etc., id est hostias in eisdem speciebus sepe immolans. "Que" videlicet hostie, "numquam possunt auferre peccata", id est non possunt mundam facere conscientiam, hoc est culpam a mente removere et penam dilationis in electis ex toto auferre. Quod facit passio Christi, que amorem immittit, cuius immisione et culpa a mente removetur et electus, si transierit, non differtur a regno.

Et nota, quod, quamvis istud sepius ponat apostolus, non est superfluum, cum idem repetendo magis sacerdotium Christi commendet et leviticum magis extenuet, et, hostia levitica quanto sit hostia Christi commendabilior et longe excellentior, nostre plus affigat memorie. Has enim repetitiones in pluribus locis sollerter facit apostolus more sollertis, ut supra memini, oratoris, qui, quod causam suam plus iuvat, frequentius ponit.

Sed, cum apostolus dicat: Que numquam possunt auferre peccata, accipiens hoc vocabulum peccatum quasi in extranea significatione, non videtur, inquiet quis, de sacerdotio Christi,[a] quod intendit preferre levitico, illis, quibus loquitur, quicquam persuadere, quibus ea omnino incognita erat significatio, qui semper eo utebantur nomine in designatione illius, quod recte peccatum non dicimus.

Philosophus: Nichil, inquit, mirum diligenti debet videri ingenio, cum unumquemque artificem, qui artem aliquam tractat, nonnumquam oporteat transferre vocabula et quasi per ignotum nomen, id, quod intendit, aliis insinuare. Veluti qui dialecticam primum tractaverunt, a nota significatione transtulerunt nomina dicentes predicabilium alia genera esse, alia species, cum tamen hec vocabula, genus videlicet et species ad aliam primitus reperta essent significationem. Rursus, cum hostie ille, ut non semel iam dictum est, penas tantum corporales et transitorias relaxarent et ei, qui vel mortuum vel leprosum tetigerit, qui lex aliorum interdicebat societatem, post mundationem sinagogam redderent, obicitur, quod illi in mente, quod mundandum esset, non habebant, cum peccata quidem non crederent nisi facta illa exteriora, et quantumcumque perverse cogitarent, nequaquam inde Deum offendi, si opere non complerent, nec quicquam se[b] contra conscientiam agere, qui etiam se ex toto per illas mundari hostias existimabant.

Philosophus: Qualesvis, inquit, statuantur, ut videlicet nisi facta exteriora peccata non credant nec ex perversis cogitationibus non dimittentes propter Deum, quod propter Deum dimittendum est, putent Deum offendere. Hii tamen etsi non peccent,[198*] cum contra conscientiam non agant, mundam non habent conscientiam. In quibus illud idem est, etsi in illis peccatum non sit, quod in nobis est et peccatum est. Non dimittere enim propter Deum, quod propter Deum

[a] Christi] *inter lineas* [b] se] *inter lineas*

[198*] Cf. Abaelard., *Ethica* c. 3 (PL 178,643C sqq.); c. 13 (PL 178, 653); c. 14 (PL 178,654)

dimittendum est, eque in illis fuit, sicut et in nobis. Quod in nobis peccatum est, cum in eis quidem id peccatum non fuerit, si tales ponantur, ut nichil faciant contra conscientiam.

Quales ego eos fuisse minime existimo, qui non Deum, sed se semper in fine constituebant,[b] quorum tamen mens quidem immunda fuit, quantumcumque idiotas eos statuamus.[c] Veluti si quis hoc lignum Deum esse crederet et contra conscientiam non ageret, iste utique, etsi non peccaret, mundam non haberet conscientiam.

Quod autem dicitur, quod se per hostias illas ex toto mundari putabant, contra quidem dicimus, quia, si hoc crederent, omnino decepti sunt ad modum alicuius ceci, qui, cum facies sibi ablueretur, multis tamen maculis remanentibus faciem existimaret sibi mundam esse.

"Hic autem". Acsi diceret: Illi sepe et multas offerunt hostias, sed iste et semel, ut dictum est, et unam obtulit et amplius a sacrificio quiescet, quia illa sufficiens est. Et hoc est "hic", videlicet Christus, "offerens unam hostiam" et hoc "pro peccatis", id est ad remissionem peccatorum, "in sempiternum sedet", id est ab imolatione amplius in perpetuum quiescit, "in dextera Dei", acsi dicat: Per illam tamen hostiam unam et semel ab ipso oblatam reddit Deum Patrem nobis dexterum, id est prosperum et benignum, quem cotidie interpellat pro nobis.

Ille, dico, "de cetero expectans". Ad hoc, quod superius dictum est, respicit, ubi dixit statutum esse hominibus semel mori, post hoc autem iudicium de illis expectandum,[1268] in quo quales fuerint, revelandi sunt. Ita et Christus in illa etiam revelatione, que commune iudicium appellatur, qualis est, omnibus revelabitur, cum ipse ad iudicium cum angelis venerint, quem inimici etiam videntes contremiscent videntes eum adeo sublimatum, qui possit suos conculcare hostes,

---

[a] qui non—constituebant] *inter lineas et in margine* [b] quantumcumque—statuamus] *inter lineas*

[1268] Hebr. 9,27

quia ipse est lapis, de quo dicitur: Et qui super eum ceciderint, conteret eos.[1269]

Sed cum in cognitione Dei vita consistat ęterna, in contrario autem summa miseria, obicitur, quia illi, qui in futuro, ut dictum est, aliquam de Christo habebunt notitiam, sume miseri non sunt, cum tamen eius sint inimici.

Philosophus: Cognitio, inquit, de qua dicit veritas: Vita autem ęterna est cognoscere te et quem misisti Jhesum Christum,[1270] in experientia habetur, qua modo fruuntur angeli, que quanta qualisve sit, electi in se sentire poterunt, sed alium docere non possunt. Illa vero, quam de Christo habebunt reprobi, in fide sola consistet notitia, qui ex eo, quod talem et talem corporeis etiam Christum videbunt oculis, mirabilem eius credent esse potentiam, ut ita contremiscant. Impii enim tunc etiam fidem habebunt, que in electis ex toto perimetur, sicut et scientie, quia, ut apostolus astruit, tunc omnis destruetur scientia.[1271] In quibus ea, que dicta est, erit cognitio, que quo nomine possit appellari, non habetur, nisi fruitio divina appelletur.

Litteram sic lege: "De cetero", id est deinceps, "expectans", donec videlicet in illo communi, qualis est, reveletur iudicio, et hoc est "donec", id est interim, donec "inimici ponantur scabellum pedum eius", id est hostes ipsius, velint, nolint, subiciantur illi, ut quasi pedibus eos conculcet. Sicut autem in Christo divinitas caput dicitur, ita et per pedes, que inferiores partes sunt persone accipitur humanitas, que inferior natura in illo est. Cuius scabellum maxime ponentur impii, quia ipsa plurimum ad eorum erit confusionem, quam et ipsi contempserunt nolentes credere, ut habere carnem divine competeret nature. Ideoque humanitas Christi eos plurimum accusabit, ut per eam, cuius contemptus fuit, maxime dampnationem incurrant.

Nota, quod alibi dicitur: Adorate scabellum pedum eius,[1272] id est humanitatem Christi, que est quasi scabellum divini-

---

[1269] Matth. 21,44 [1270] Joh. 17,3 [1271] I Cor. 13,8 [1272] Psalm. 98,5

tatis in ipso. Ut enim sancti aiunt, homo etiam ille adorandus est. Eum quippe hominem adorare debemus tanquam illum, in quo tota nostra consistit salus.

"Una enim". Bene dixi: Unam afferens hostiam in sempiternum sedet, quia videlicet "una oblatione", id est per illam unam oblationem et semel factam "consummavit in sempiternum sanctos", id est fecit in electis suis consummationem sempiterne sanctificationis non solum culpam remittendo, sed et penam in illis in perpetuum removendo.

"Contestatur autem". Acsi diceret: Et non solum nos astruimus istam sanctificationem, sed etiam Spiritus Sanctus confirmat id, quod diximus in propheta. Et testimonium Ysaie,[1273] quod supra positum est,[1274] repetit ubi in fine in his verbis: et peccatorum et iniquitatum eorum iam non recordabor amplius. Ista confirmatur sanctificatio. Et hoc est "contestatur" etc., id est Spiritus Sanctus confirmat etiam quod nos dicimus, testimonio videlicet prophete.

"Postquam enim". Vere contestatur, quia postquam dixit ista in propheta, "hoc autem" etc. Si ita quidem legimus, defectionem videmur incurrere. Unde beatus Jeronimus[1275] probativas etiam coniunctiones dicit in apostolos sepe expletivas esse. Veluti si ita dicatur: Contestatur, dico, postquam hoc dixit. Verumtamen et probative legi poterit, si *contestatur* repetatur ad hunc modum: Vere contestatur, quia postquam hoc dixit, in his quidem contestatur verbis.

"Hoc autem" etc. Supra hec omnia sunt exposita. "Et peccatorum" etc. Post promissionem novi testamenti ad confirmationem eius istud adiecit Dominus, ubi predictam pollicitus est sanctitatem dicens: "et peccatorum" etc., id est et culparum et penarum etiam non recordabor in perpetuum.

"Ubi autem". Ita ista confirmatur sanctificatio per Spiritum Sanctum in propheta. Sed "ubi est horum remissio", id est ubi ista sanctitas est, "iam non est" etc., id est non

---

[1273] Jerem. 31,34 [1274] Hebr. 8,8 [1275] *Locus non inventus*

est[a] opus, ut iterum offeratur Christus "pro peccato", id est ad remissionem peccatorum, hoc est ad habendam sanctificationem hanc.

"Habentes itaque". Acsi dicat: Quia sanctificatio ista, que promissa fuit in predicto testimonio prophete, iam consummata est una nostri pontificis oblatione, igitur "habentes", O "fratres, fiduciam", id est magnam confidentiam, per talem videlicet pontificem, "in introitum sanctorum", id est ad introeundum sancta illa ęterna, que sursum sunt, prefigurata per sancta sanctorum. Et hoc "in sanguine Christi", id est per sanguinem Christi qui propter nos effusus est. "Quam viam", id est quem introitum, "initiavit", id est Christus primum penetravit, qui nobis celos aperuit. Quippe ante eum vitam illam non intravit homo. "Novam", id est noviter in tempore videlicet gratie paratam electis, ut, qui digni sunt, statim introeant. "Et viventem", id est indeficientem. Ea quippe sanctorum beatitudo ab omni defectu aliena est. Habentes, dico, fiduciam, et hoc "per velamen", quod exponit. Acsi diceret: Per carnem suam, in qua velata fuit divinitas, "et sacerdotem magnum", hoc est per officium magni sacerdotii longe excellentioris omnibus sacerdotiis in domo Domini.

Habentes igitur hanc fiduciam "accedamus", id est properemus. Et aliter, ut supra memini, cum maiori videlicet amoris incendio nobis properandum est quam qui precesserunt, qui a regno per multum temporis differebantur. Nos vero, si digni fuerimus, sine omni ingredimur dilatione.

"Cum vero corde". Qualiter sit accedendum, docet dicens: "cum vero corde", id est cum pura intentione et recta, ut videlicet, quicquid facimus, non propter nos, sed sincere propter Deum faciamus ipsum semper in fine constituentes et non commoda nostra. Et hoc "in plenitudine fidei", id est si plene crediderimus, que credi ad salutem necessarium est. Item "aspersi corda a conscientia mala", id est habentes corda aspersa, hoc est mundata, "a conscientia mala", id
177r est a peccatis, que conscientiam || contaminant. Et quia illa

[a] est] *inter lineas*

non sufficiunt sine sacramentis ęcclesie, subiungit "et abluti" etc., id est in sacramento baptismatis regenerati.

"Teneamus". Acsi diceret: Et, ut accedamus, in nostro perseveremus proposito. Et hoc est "teneamus indeclinabilem confessionem spei nostre", hoc est incessanter teneamus illud, quod in baptismo confessi sumus, ubi queritur: Credis in Deum Patrem? credis in Filium eius unicum? etcetera. Per quam confessionem electis vita speranda est ęterna.

"Fidelis enim". Dixi: Accedamus, teneamus et bene, quia si nostris viribus non possumus, Deus "fidelis" est, id est constans est in promissis suis et immobilis, "qui repromisit", id est, qui non solum promittit vitam illam nobis, sed et auxilium suum illuc perveniendi.

"Et consideremus". Et quia nemo debet sibi vivere vel sibi natus esse, sed ad aliorum etiam utilitatem, monet nos, ut in accessione ista ad Deum alios nobiscum invitemus. Ut enim in apocalipsi habetur, qui audit, dicat: Veni,[1276] ut semper non tantum nobis, sed et proximo proficere studeamus. Et hoc est "et consideremus", acsi dicatur: Accedamus, dixi, "et" in isto accessu "consideremus invicem", id est commodum etiam aliorum attendamus. Et hoc "in provocationem caritatis", id est ita, ut ex caritate proximum nobiscum venire provocemus. "Et" item in provocationem "bonorum operum", id est bona opera superaddamus, ut eorum exemplis ipsum quoque invitemus, "non deserentes collectionem nostram". Et bene dixi[a] bonorum operum, quia etsi mores mutentur et caritas sit in mente, non tamen debemus deserere collectionem nostram, id est bonorum operum superaddere multitudinem. Vel aliter: Et bene dixi: Consideremus invicem, quia non debemus deserere collectionem nostram, id est christianos nobis coniunctos, sed eos semper ammonere, ut nobiscum veniant. Et hoc est "non deserentes" etcetera.

"Sicut consuetudinis quibusdam est", hoc est quemadmodum

---

[a] dixi] *inter lineas*

[1276] Apocal. 22,17

quidam in consuetudine habent, ut videlicet deserant vel bona opera superaddere vel alios invitare. "Sed consolantes". Non deserentes, dixi, immo "consolantes", id est cum magno consolatio proximum provocantes, ut properet. "Et tanto magis", id est tanto amplius consolantes, "quanto videritis diem appropinquantem", id est quanto attenderitis vitam illam, ubi non est nisi dies, paratiorem esse, quam qui meretur, ut iam sepius memeni, sine omni intrat dilatione.

"Voluntarie enim". De hostia Christi locutus est, de moribus etiam mutandis, de operibus quoque superaddendis, excellentiam illius multis modis ostendens, que longe leviticis preferenda est hostiis, que peccata ex toto aufert. Ne ergo huius hostie confidentia vel sacramentorum ęcclesie, que a fidelibus suspiciuntur, pigri fieremus negligentes mores corrigere, opera superaddere, consolantes nos cum quisbusdam, qui dicunt, quia christianus numquam dampnabitur, hanc fatuam existimationem sive errorem vult apostolus cassare, quia ea quidem non proficit hostia, non proficiunt sacramenta, nisi mores mutaverimus, nisi opera bona superaddiderimus. Quod ingreditur hoc loco monstrare apostolus.

Continuatio: Teneamus confessionem spei nostre, que utique tenenda est, quia "nobis voluntarie peccantibus", id est in voluntate peccandi persistentibus et redire nolentibus "post acceptam" etc., id est post omnem etiam fidem de veritate, id est de Christo habitam, que necessaria est, tamen "iam non relinquitur" etc., id est hostia illa excellens ad peccata nostra remittenda nullo modo relinquitur, ut nobis possit proficere, si in peccando quidem perstiterimus.

"Terribilis autem". Hostia illa non relinquitur, sed relinquitur "quedam expectatio terribilis iudicii", id est superest talibus quandam penam terribilem in die illa expectare, que qualis quisque fuerit, omnibus revelabit. Dies enim Domini, ut dicit apostolus in prima epistola ad Corinthios, declarabit uniuscuiusque opus, quale sit.[1277] Terribilem autem istam expectationem exponit dicens: "et ignis emulatio", id est

[1277] 1 Cor. 3,13

quidam fervor magnus ęterne pene, que nomine ignis designatur, quia ignis acutius est elementum nec sectionem recipit ut elementa cetera, cum videlicet nichil poterit interpositum esse, quod sua subtilitate non penetret. Ita et illi pene, que ignis vocabulo appellatur, nichil potest resisti, in cuius comparatione omnes alie nichil sunt. "Que", videlicet emulatio, hoc est qui fervor nimius consumpturus est "adversarios", id est Christi inimicos. Si enim amici Christi sunt, qui ei obedientiam servant, ita adversi sive adversarii illius appellantur, qui ei nolunt obedire, quos ignis ille maximus consumpturus est in fine. Tunc autem homo consumptus est, quando totus in defectu positus est, cum nichil, quod velit, in venia, sed omnia contra voluntatem in se quidem fieri sentiat. In quo defectu ponentur in futuro Christi adversarii. Hi enim, etsi quandoque, quod volunt, expleant, et ita de completa voluntate quoddam habeant solatium, ibi sic erunt constricti, ut nichil, quod velint, faciant, sed, quicquid contigerit, ex toto sit eis contrarium. De quo dicit veritas: Qui odit animam suam in hoc mundo, in futuro inveniet eam; qui vero diligit, perdet eam.[1278] Acsi dicatur: Qui hic voluntatem suam non[a] sequitur, in futuro eam inveniet, ubi nichil habebit, nisi quod voluerit. Qui vero econtra hic suam sequitur voluntatem, ibi amittet eam, ubi nichil inveniet, quod velit, sed sue omnia erunt voluntati contraria.

Diabolus quoque ita tunc cruciabitur, quod nichil habebit vel facere poterit, quod voluerit, quod summum ei erit tormentum. Nunc vero quamdiu ista durat vita, suam quandoque complet voluntatem, dum hunc vel illum decipit, in quo plurimum habet consolatium. Unde cum veritas ab humanis corporibus immundos eiecisset spiritus, dixerunt: Quid venis ante tempus torquere nos.[1279] Acsi dicerent: Nos bene scimus, quod aliquando erit, quod nichil, quod velimus, poterimus facere; sed tu quid ante tempus impedis nostram

[a] non] *inter lineas*

[1278] Matth. 10,39; 16,25; Marc. 8,35; Luc. 9,24; 17,33; Joh.. 12,25.
[1279] Matth. 8,29

voluntatem, in quo permultum torquemur, nos ab humanis eiciens corporibus, in quibus, quod voluimus, explebamus.

"Irritam" etc. Consumptura adversarios, et merito. Quod probat a minori, quia etsi ille, qui contempnebat Moysen et quod ipse precipiebat, graviter puniebatur, quanto gravius punietur, qui Dei Filium et doctrinam ipsius contempserit. Melius est enim viam veritatis non agnoscere quam post agnitam retrorsum abire.[1280] Et hoc est "quis", id est aliquis, "faciens legem Moysi irritam", in sua videlicet obedientia, "sine ulla" etc. id est, qui legi Moysi non obediebat, duorum vel trium convictus testimonio sine omni misericordia moriebatur. "Quanto magis" etc., id est quanto deteriori supplicio existimatis illum puniendum esse, "qui" videlicet "Filium Dei conculcaverit", id est neglexerit tamquam se illi preponendo. Conculcare enim est quasi aliquid sub pedibus ponere. Conculcat ergo Filium Dei, qui se superiorem faciens suam voluntatem voluntati illius preponit.

"Et sanguinem testamenti", id est pacti, quia in eo sanguine vitam illam beatam nobis pollicitus est, "pollutum duxerit", non quod illum polluat sanguinem, sed quia eius munditiam convertit sibi in inmunditiam assumens indigne. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.[1281] Item, iuxta quod dicitur: Nomen meum polluistis in gentibus,[1282] id est propolluto fecistis haberi, quia tales elegi lecatores. Nomen enim Domini pollui non potest. Ille quoque ducit pollutum sanguinem, id est pro polluto et quasi pro vili, quantum in se est, facit haberi, qui videlicet attendens illam sumam dilectionem, quam nobis moriendo exhibuit, non tamen compungitur nec suos vult mores corrigere, sed in prava persistit obstinatione.

"In quo", videlicet sanguine, hoc est per quem sanguinem, "sanctificatus est", id est parata est sibi via ad eam perveniendi vitam, ubi non est nisi sanctitas. "Et spiritui gratie", hoc est Spiritui Sancto, qui in baptismo ei gratis datus est,[a] "contumeliam", id est iniuriam, "fecit", hoc est

[a] qui—est] *inter lineas et in margine*

[1280] 2 Petr. 2,21 [1281] 1 Cor. 11,29 [1282] Ezech. 36,22

intulerit non complendo, quod in illa promisit regeneratione, cum donis eius gratuitis, que ibi suscepit, vita ipsius ex toto sit contraria.

Talibus, ergo, qui Dei contempnunt Filium, longe deterior merito reservatur pena et multo maius incurrent supplicium quam qui legem contempserint Moysaicam. Unde obicitur, quod gravius est et importabilius, ewangelium, quam lex fuerit, cum tamen dicat veritas: Onus meum leve est et iugum meum suave.[1283] Is quippe, qui contempnit ewangelium, maiora incurrit supplicia quam qui eam neglexerit legem.

Philosophus: Nulla, inquit, hec obiectio. Quod enim de pena deteriori dictum est, de ea dicitur pena, quam homo post hanc vitam incurrit, non de pena, que per ewangelium ei hic inferatur. Doctrina enim Christi nullam penam precipit, que neminem iubet interfici, nullam precipit lapidari, nullum infert alicui supplicium, sed in preceptione caritatis tota est, que omnia suffert, omnia credit,[1284] nichil umquam faciens, unde aliquid toleret, que nec etiam, que sua sunt, querit,[1285] quam nichil gravat facere. Amanti quippe nichil difficile est. Et ideo a veritate dictum est: Onus meum leve et iugum suave,[1286] quod de levitate et suavitate ewangelii intelligitur, ex quo non habetur, ut hic aliquis puniatur, quod totum est in dilectione Dei et proximi. Moyses vero, qui duras manus dicitur habere,[1287] quantamcumque homo haberet caritatem, non poterat ei parcere, si forte in aliquo excederet, cum lex eam, quam inferebat, eum cogeret penam inferre. Interfectiones autem, que cotidie fiunt, ex doctrina Christi, que caritatem precipit, non habentur, que longe ante Christum fuerunt ex legibus imperatorum institute et ceterarum potestatum, que a Deo ordinate sunt. Omnis enim potestas, ut dicit apostolus, a Deo ordinata est,[1288] que sine causa gladium non portat. Et quamvis ex ewangelio iste non habeantur vindicte, contra ewangelium non sunt nec eas prohibuit Christus, que ęcclesie Christi permultum utiles

---

[1283] Matth. 11,30 [1284] Cf. 1 Cor. 13,7 [1285] Cf. 1 Cor. 13,5
[1286] Matth. 11,30 [1287] 1 Reg. 5,7; Exod. 17,12 [1288] Rom. 13,1

sunt. Propter mortem enim unius lecatoris multorum
177v milium pauperum Dei sepe servatur vita. || Petro autem utrumque gladium non commisit, sed tantum spiritualem, non etiam materialem, qui ante eum potestatibus a Deo commissus fuit, a quibus, ut diximus, sine causa gladius non portatur.

"Scimus enim". Acsi diceret: Illi revera, qui Filium Dei contempnunt, punientur per illum quidem iudicem, cui omnis vindicta reservanda est, quia videlicet nos "scimus, qui dixit", id est quam potens, quam iustus sit, qui per prophetam dixit ita: "Michi vindictam".[1289] Istud ewangelicum non est, sed ante ewangelium multo tempore per prophetam annuntiatum de singulis vindictis hominum, acsi ita dicatur: O vos homines, unamquamque vindictam, quam faciatis michi, reservate, ut ego potius in vobis vindicem quam vos, me in fine constituentes, non iram vel commodum vestrum. "Et ego reddam", id est retribuam et hic et in futuro.

Et nota, quod homo ęternam non meretur dampnationem nisi propter contemptum Dei.[199*] Cum enim potestas quecumque sit michi a Deo prelata, si eam propter ipsam contempsero, non mereor dampnari. Si vero attendens eam a Deo constitutam esse propter ipsum quidem constituentem ei obedire noluero, Deum, qui eam constituit, contempno. Propter quem contemptum ęterna dignus sum dampnatione.

"Et iterum". Postquam dixit de retributione adversariorum Christi, supponit de remuneratione iustorum.

Continuatio: Non solum de vindicta Dei in adversarios suos scriptum est, sed "et iterum" de premio electorum, ita, quia videlicet "iudicabit", id est in illo communi iudicio revelabit et per premium ab impiis separabit "populum suum", id est illos, qui sibi coherent per dilectionem.

"Horrendum". Post illas duas retributiones duo annectit tamquam singulis singula reddens. Retributioni autem im-

[1289] Deut. 32,35; cf. Rom. 12,19

[199*] Cf. Abaelard., *Ethica* c. 3 (PL 178,639C sq.)

piorum adiungit "horrendum" etc. Retributioni vero iustorum "Rememoramini" etc. Et de eo, quod retributioni impiorum annectitur, primum ponit, acsi dicat: Et quia terribilis est expectatio et ignis emulatio, que consumptura est adversarios, attendite, quia "horrendum est", id est cum summo metu cavendum est, "incidere in manus Dei." Et bene dicit incidere, quia homo, cum promittat sibi longa temporum spatia,[a] tandem ex improviso a summa, quam nemo fugere potest, apprehenditur potestate, in cuius manus incidit, quia improvide illas incurrit penas, quas eam illi convenit inferre. Et quia parum timenda est pena, que finem habet, subnectit "viventis", id est indeficientis et in se et in eo, quod operatur. Werra enim illa sive pena, que finem non habet, vel tortor sive iudex summo metuendus est, qui eos, quos punit non deficit sine fine tenere in pena. Quod et Dominus in ewangelio insinuat dicens: Ostendo vobis, quem timeatis.[1290] Eos enim, qui corpus possunt interficere, nolite timere,[1291] quorum quidem sevitia, cum corpus interfecerint, non ultra extenditur. In animam quippe sevire non possunt. Eum vero timete, qui potestatem habet[b] corpus et animam mittere in gehennam.[1292] Acsi diceret: Ille, quidem summo metuendus est, qui in puniendo non deficit et, quam infert, pena sine defectu est.

"Rememoramini". Illud nunc ponit, quod remunerationi iustorum subiungitur, acsi dicatur: Et quia Dominus iudicabit populum suum, memores estote, fratres, vestrorum bonorum operum, non solum presentium, sed et preteritorum, ne vestra bona initia pessimo exitu consumetis intelligentes, quod premium a Deo expectetis. Et cum eos iam exasperaverit per ea etiam maxime, que in proximo dicta sunt de dampnatione impiorum, que ad se fortasse putabant retorqueri sicut supra, ubi ait: Etsi ita loquimur, confidimus tamen de vobis, fratres, meliora et viciniora saluti,[1293] ita et nunc post illas duras increpationes vult illos confortare

---

[a] spatia] spatium [b] habet] *inter lineas*

[1290] Luc. 12,5 [1291] Matth. 10,28 [1292] Matth. 10,28 [1293] Hebr. 6,9

et in suis tribulationibus, quas vehementes patiuntur, consolari, et per bona eorum opera preterita, que eis in memoriam reducit, ad bene operandum animare. Homo enim bonis suis preteritis in memoriam reductis ad ulteriora plurimum solet animari. Et ideo illorum bona callide commemorat preterita, ut eorum commemoratione ad sequentia magis animentur.

Et hoc est "Rememoramini", id est ad memoriam reducite non solum presentes, sed et "pristinos dies", id est bona illa, que in pristinis diebus, hoc est antiquis, operati estis, "in quibus", videlicet diebus, "illuminati", a Deo quidem fide, spe, caritate, "magnum certamen" etc., hoc est magnas passiones, cum quibus quodammodo luctam habuistis maximam, pro Deo sustulistis.

"Et in altero" etc. Monstrat, quam magnum certamen passionum sustinuerint, quia et propter se multas tulerunt passiones, ubi sibi ipsis iminebat periculum, et sepe propter fratres, pro quibus opponebant se periculis, ut eos liberarent vel pro illis morerentur. Et hoc est "et in altero quidem", id est in altera parte magni certaminis passionum, "opprobriis" in ludibriis verborum, "et tribulationibus" in laboribus, "facti spectaculum", hoc est amministratione digni pro tot pressuris, quas toleratis. Spectaculum enim est, quod pro aliquo facto mirabili dicitur ammiratione dignum. Ita et illi, quia tot agones, tot passiones sustinebant, quod mirum erat,[a] quod durare poterant, digni sunt ammiratione, qui tantos poterant cruciatus tolerare.

"In altero". Ostenso, quod propter se passi sunt, ostendit, quod propter proximum, pro quo opponebant se periculis. Cum enim aliquem christianum a iudeis infidelibus viderent apprehendi, statim illi se opponebant, ut a manibus illorum eum eriperent. Et hoc est "in altero", id est in alia parte certaminis.

"Effecti socii taliter conversantium". Hoc est ad modum vestrum propter Deum patientium, pro quibus sepe vos periculis opponebatis.

[a] erat] erant

"Nam et". Probat, quod et in se et in aliis passi sunt. Et primum, quod in aliis, acsi dicat: Et vere effecti socii, quia "et" vos "vinctis", hoc est ligatis et afflictis propter Deum, "compassi estis", id est per compassionem condoluistis eorum dolorem suscipientes tamquam proprium. "Et rapinam". Et vere in vobis passi estis, quia videlicet non solum vinctis compassi estis, sed "et rapinam" etc., hoc est, quod bona vestra vobis ablata sunt, patienter tulistis, et hoc "cum gaudio", hoc est spretis terrenis omnibus ad gaudium illud suspirantes ęternum, quod a Deo expectatis, de quo vestris vobis violenter ablatis congaudebatis. Judei enim infideles, ut in exordio prefati sumus, maiori odio suos habebant conversos quam gentes suas. Unde nec aliquam substantiam, unde viverent, eis relinquebant, et, si quid tamen residuum fuerit vel aliunde habitum, cotidie illis auferebant. Illi autem, quia parum habebant, de parvo amisso facilius tolerabant. Is enim, qui opolum habet dicens apud se: De isto vel retento vel expenso nec ditior nec pauperior ero, facilius illum expendit, quam qui cogitat obolum opolo superaddere, ut ita magnum faciat acervum. In primitiva namque ęcclesia fervor maximus erat, qui, quasi botrus in torculari vinum, eructabat mentes aliorum inebrians et verbis et exemplis. Omnia quippe, que habebant, in communi proponebant, ut nichil haberent proprium et mundo ex toto contempto totis desideriis ad celestia hanelabant videntes modo fratrem, modo patrem, modo filium ad occisionem duci. Unde animati et in Deum ferventiores effecti pressuras quascumque pro nichilo ducebant. Econtra vero hodie in ęcclesia contigit. Purpurati enim apostolici, ut a capite incipiam, toti in terrenis positi extremam de celo faciunt questionem. Qui inflati pipere et bonis saporibus potius querunt, que sua sunt,[1294] quam que Jhesu Christi, tamquam imitantes cuiusdam lecatoris sententiam, qui ait: Habeat Deus celos suos et istam nobis terram dimittat.

"Cognoscentes". Cum gaudio, dixi, suscepistis rapinam vestrorum bonorum. Vos, dico, "cognoscentes", id est atten-

---

[1294] Cf. 1 Cor. 13,5

dentes, "vos" in celis "habere meliorem" etc., id est meliores divitias et manentes, hoc est indeficientes, que fine carent, quibus Deus suos ditabit amicos.

"Nolite itaque". Acsi diceret: Et quia, fratres, bona initia habetis, tot passiones, tot agones pro Deo hucusque et in vobis et in aliis sustinentes, igitur nolite deficere, ut ad bravium vobis propositum pertingatis. Et hoc est "nolite itaque amittere", hoc est negligere, "confidentiam vestram", hoc est patientiam vestram, quam hucusque habuistis, de qua plurimum confidendum est vobis apud Deum, apud quem magnum habet premium, si perseveratis. Et hoc est "que", videlicet confidentia, hoc est patientia, "magnam habet remunerationem", hoc est vite eterne assequetur bravium, siquidem perstiteritis.

"Patientia enim". Dixi: Nolite amittere confidentiam vestram, hoc est patientiam vestram et bene, quia "patientia necessaria est vobis", et non solum vobis, sed etiam omnibus, qui ad hoc tendunt, ut sint membra Christi. Ut enim supra meminit apostolus, omnes, qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur.[1295] Ideoque omnibus christianis patientia convincitur esse necessaria, "ut voluntatem". Vobis, dico, necessaria, "ut" ita "facientes voluntatem Dei", hoc est in tribulationibus perseverantes iuxta Dei voluntatem, quam potius attendatis quam vestram, "reportetis", id est assequamini, "promissionem", hoc est vitam eternam vobis promissam.

"Adhuc enim". Bene dixi, ut reportetis[a] promissionem, quia "adhuc modicum aliquantulum". Una pars est, acsi diceret: Adhuc parum, "veniet, qui venturus est" etc., hoc est ille, qui venturus est in fine mundi, iam veniet in fine vite uniuscuiusque vestrum et remunerabit vos, qui parum habetis vivere et adhuc modicum ab illo differri promissione. "Et non tardabit", quia vos non multum victuri estis.

"Iustus autem" etc. Verba adhuc sunt prophete.[1296] Acsi

[a] ut reportetis] *inter lineas*

[1295] 2 Tim. 3,12 [1296] Habac. 2,3

dicatur: Veniet, inquam, qui venturus est. Sed interim dicit Dominus: "iustus meus", hoc est, quem ego approbo. Multi enim sunt, quos homines iustos appellant, qui apud Deum iusti non sunt. "Ex fide", quam videlicet firmam habet, || "vivit", hoc est in virtutibus et in bonis operibus 178r
perseverat, ut ita ad vitam illam perveniat.

"Quod si". Ex fide, dico, vivit. "Quod", id est sed, "si subtraxerit se", hoc est fidem suam reliquerit, "non placebit anime mee".[a]

"Nos autem". Post testimonium ad se redit apostolus, acsi diceret, qui se subtrahunt, non placent Deo. Sed "nos", fratres, "non sumus subtractionis filii", hoc est non sumus de illis, qui se fidei subtrahunt venturi in perditionem, id est in dampnationem,[b] sed sumus "fidei" filii, hoc est de illis, qui fidem custodiunt et ei coherent futuri, "in adquisitionem anime", id est ad vitam illam per fidem Christi nobis adquisitam, qua sola fruitur anima. Solius enim anime est, ut beatus astruit Augustinus,[1297] frui visione Dei, ubi tantum beatitudo consistit.

[a] mee] *sequitur vacuum exiguum* [b] venturi—dampnationem] *inter lineas*

[1297] *Enarratio in psalmum* 41 n. 7 (PL 36,469)

[Cap. 11]

"Est autem fides". Dictum est: Iustus ex fide vivit, hoc est per fidem in virtutibus et in bonis persistit operibus. Et bene, quia "fides est substantia" etc., hoc est fundamentum omnium bonorum nostrorum. Sicut enim in substantia cetera fundari habent sicuti accidentia, ita fides subsidium et fundamentum est omnium rerum, que vel de Deo vel de vita creduntur eterna. Ut enim Deum credamus esse, Deum quidem diligamus,[a] vel vitam illam speremus adipisci, oportet fidem esse et omnes in fide radicatos esse, quicumque volunt assequi, quod eis sit ad salutem. Quod et beatus Augustinus[1298] diligenter insinuat, ubi in encheridion in prima parte de fide et spe loquitur dicens spem ex fide procedere. Ad hoc quippe, ut aliquid speremus, oportet, ut de illo fides habeatur. Veluti ad hoc, ut vitam quis speret ęternam, necesse est, ut de illa in ipso fides precedat. Si enim de vita illa fidem non habet, nec omnino ab illo expectatur. Et ita fides fundamentum spei est, ut, cum fides sine spe esse possit, spes quidem sine fide nullatenus esse queat. Et hoc est "fides est substantia rerum sperandarum", hoc est fundamentum spei et eorum, que spes complectitur.
"Argumentum non apparentium". Item fidem appelat argumentum, hoc est probationem, "non apparentium", hoc est rerum non apparentium, id est sensibus non subiacentium, quarum fides probatio est. Per hoc quippe, quod huiusmodi esse creduntur, manifestum est, quod quedam res non apparentes sint, que videlicet sensibus non subiacent.
Nota enim, quod de fide illa non loquitur apostolus, qua creditur aliquid, ubi decipitur, qui credit, sed de fide illa, que ad salutem necessaria est, que complectitur et ea, que sunt, et ea, que preterita sunt et que futura. Que omnia cum

---

[a] Deum quidem diligamus] *inter lineas*

[1298] *Enchiridion* c. 5 (PL 40, 233)

credantur, necesse est, ut quedam res sint non apparentes, quas oportet credi, veluti Deus, quem credi necesse est, vel vita ęterna, que ab electis speratur.

"In hac enim". Acsi diceret: Bene dixi fidem esse substantiam, hoc est radicem omnium bonorum, quia "in hac", hoc est ex fide ista illi etiam, qui precesserunt electi, bona, que habuerunt, assecuti sunt. Et hoc est "senes", hoc est sancti, qui precesserunt, quos senes quasi patres nostros appellat, "consecuti sunt", id est adepti sunt, "testimonium", hoc videlicet, quod iusti esse testantur et in testimonium iustitie proponuntur. Quos sepe in exemplum scriptura trahit, quia multa passi sunt et pro Deo ex fide, quam habuerunt, diversa genera mortis, ut in sequentibus monstrat, subierunt.

Sed queritur, quare illi festa non habeant, quemadmodum electi, qui post mortem Domini inventi sunt.

Philosophus: Ideo,[200*] inquit, quia videlicet, cum morerentur, non statim celo nati sunt, sicut sancti huius temporis, de quorum morte natalitia maxime dicenda sunt, cum morientes statim quasi de miseriis nascantur gaudio. Illi ergo festivitates non habent, qui omnino natalitiis caruerunt, que proprie festivitates appellantur.

Obicitur autem de beato Johanne baptista, de innocentibus, de Machabeis, quorum omnium festivitates in ęcclesia videntur celebrari, cum tamen et ipsi passionem Domini precesserint.

Ad quod philosophus: Baptista, inquit, et preco Domini festivitatem non habet, sed quod de eo fit in ęcclesia, quedam est memoria illius gaudii, quod in eius venturum erat nativitate iuxta illud: Et gaudebant multi in nativitate illius.[1299] Unde de morte eius, de qua maxime habetur sanctorum, ut dixi, festivitas, nulla est celebratio, sed memoria quedam de capitis inventione. Item innocentium nulla est festivitas,

---

[1299] Luc. 1,14

[200*] *Ad sequentia* cf. *Sent. Herm.* c. 29 (PL 178,1742A) *Sent. Paris.* A. Landgraf, Écrits théologiques de l'école d'Abélard [*Spicilegium Sacrum Lovaniense*, Fasc. 14] Louvain (1934) 41 sq.

sed ęcclesia quandam eorum celebrat memoriam, ubi et alleluia et gloria siletur in excelsis, sicut et de Machabeis dicendum est, quorum ad vincula beati Petri in eodem die fit quedam memoria ad ipsorum tantum constantie ostensionem, qui, cum iudei essent et longe ante adventum Domini in lege sua constantissimi, quidam Romanus Rome voluit illos cogere imperator, ut carnes quasdam, quas lex interdicebat, comederent. Illi autem viri magne constantie mori maluerunt quam ut in legem suam quicquam excederent.

"Fide intelligimus". Aliud ad fidei subiungit commendationem, ex qua eterna expectamus gaudia, que Deus suis daturus est fidelibus, ubi est agnitio in visione Dei. Nunc enim fides est, quia adhuc extra illam sumus visionem. Ut enim beatus dicit Ambrosius,[1300] filii Dei sumus, sed nundum apparet, quod erimus.[1301] Tunc vero erit agnitio, ubi cognoscam, ut astruit apostolus, sicut et cognitus sum.[1302] Et non solum ex fide istam attendimus agnitionem, sed et seculorum a Deo creationem, cui non interfuimus, qui tamen hanc machinam totam ab ipso esse creatam ex fide intelligimus. Quod hoc loco ponit. Et hoc est "fide", id est per fidem tamquam per fundamentum nostrum, "intelligimus", id est attendimus, "secula aptata esse", hoc est mundum creatum esse, "verbo Dei", hoc est per sapientiam Dei. Et hoc ita, "ut" videlicet "fierent visibilia ex[a] invisibilibus". Invisibilia appellat materiam informem, que quasi invisibilis ad comparationem status sequentis, non tamen in rei veritate invisibilis erat, cum esset substantia corporea et ita aliquem haberet colorem, unde visui se offerre poterat. Ex qua "visibilia", hoc est mundus iste conditus est. Vel aliter, quemadmodum in Genesi dicitur: Et factum est vespere et mane, dies unus[1303] hoc est sicut in mente ab initio habuit Deus, sic et postmodum opere complevit, ut ita "visibilia", id est mundus iste, "fieret ex invisibilibus", id est

[a] ex] *inter lineas*

[1300] Cf. Ambrosius, *Epistolarum Classis* 1 Ep. 35 n. 13 (PL 16, 1126) [1301] 1 Joh. 3,2 [1302] 1 Cor. 13,12 [1303] Gen. 1,8

iuxta illud exemplar invisibile, quod a principio in mente habebat, ut ex archetipo mundo, sicut Platoni placet,[1304][a] fieret iste sensibilis.
"Fide". Acsi diceret: Item, "fide", id est ex fide, "Abel hostiam plurimam", id est hostiam pluris pretii, "quam Chaim" etc. Per quam videlicet fidem "consecutus", id est assecutus est, "testimonium", hoc videlicet, quod "iustus" appellatus est. Unde veritas in ewangelio: A sanguine Abel iusti.[1305] Etiam "Deo perhibente" etc., hoc est attestante per miraculum suum, quod munera ipsius ei placebant. Cum enim Abel meliorem agnum, meliora omnia daret Domino, Chaim vero omnia deteriora, ignis de celo veniens munera Abel tamquam sacrificia Deo dedicata consumpsit ex toto; quod erat signum eius Deo oblationem placere. Munera Chain, que Deo displicebant, non cremavit. "Et per illam", scilicet fidem, "defunctus" etc. Eum autem et sanguinem ipsius post mortem loqui iuxta illud: Et sanguis Abel de terra clamat ad me,[1306] non est aliud nisi sanctitatem illius clamare ad Deum et provocare ad vindictam. Veluti solet dici: Etsi ego taceam, res ipsa satis clamat.
Item "fide", hoc est per fidem, quam habuit, "Enoc translatus est" a Deo, "ne" videlicet "videret mortem", id est ut non moreretur ad presens, "et" ita "non inveniebatur", a morte videlicet, que diu eum quesivit. Acsi diceret: Et sic translatus est, quod a morte diu quesitus non est inventus. Nec mirum, si non inveniebatur, quia videlicet "transtulit illum Deus", hoc est talis eum transtulit, qui ubi translatus est, a morte non permisit illum inveniri.[b] "Ante translationem enim". Et bene dixi: Fide translatus est, quia ex fide videlicet "ante translationem", id est antequam translatus esset, "habebat testimonium", hoc est bona opera attestabantur, "placuisse Deo", hoc est, quod ille Deo placebat.
"Sine fide". Acsi dicat: Et in his omnibus, qui Deo placuerunt, fides fundamentum fuit. Et vere fundamentum,

---

[a] placet] place [b] inveniri] *in margine*

[1304] Plato, Πολιτεία, VI 2, VII 3 et saepius [1305] Matth. 23,35
[1306] Gen. 4,10

quia "sine fide impossibile" etc., hoc est impossibile est, ut sine fide Deo placeat aliquis. "Credere enim". Et vere impossibile, quia "accedentem", id est eum, qui ad Deum tendit, "oportet credere", istud saltem imprimis, quia videlicet "Deus est" et quia "remunerator", hoc est retributor, est "inquirentibus se", id est illis, qui summo studio ad ipsum
178v tendentes || per amorem ei omnino coherent. Sine hac quippe fide nullus salvari potest, etsi ea tamen non sufficiat.

"Fide". Item, ut fidem commendet, alia annectit quam plura, ubi fides fundamentum bonorum esse monstratur. Et hoc est "fide", id est ex fide, "Noe responso accepto", non quod prius Deo consuluerit, sed responsum appellat tamquam divinum oraculum, hoc est divinam revelationem, acsi dicatur: Noe accepta revelatione "de his" etc., id est de illis que nondum apparebant, sicuti de submersione omnis carnis per diluvium, quod ei revelaret Dominus.

"Metuens", hoc est magnam reverentiam Deo exhibens in revelatione ei facta, "aptavit", id est preparavit, "archam in salutem domus sue", hoc est ad salvationem suam et familie sue, ne perirent cum impiis. "Per quam", videlicet fidem, "dapnavit mundum", hoc est ostendit mundum dampnabilem esse. Quale est illud: Nunc cognovi,[1307] hoc est feci te cognitum. Noe enim accepta revelatione de diluvio predicabat aliis, quia sic et sic facturus erat Deus, ut sibi precaventes suos corrigerent mores, qui audientes non crediderunt. "Et" per quam fidem "institutus est" etc., hoc est assecutus est tamquam in hereditatem iustitiam, non que per legem est, sed que per fidem, que videlicet de interioribus est.

Item, "fide" ille quidem, "qui vocatur Abraham, obedivit", id est obedientiam exhibuit Domino, qui ait: Egredere de terra tua et de cognatione tua et dabo tibi terram etc.[1308] Cui ille credens statim obedivit. Et hoc est "obedivit exire", de terra videlicet sua et cognatione, "in locum", hoc est in terram, quam ipse accepturus erat, "in hereditatem", hoc est in perpetuam possessionem. Ille tamen in persona sua ter-

[1307] Gen. 22,12 [1308] Gen. 12,1

ram illam in hereditatem non accepit, sed posteritas ipsius diu post ipsum. "Et exivit", id est egressus est, "nesciens, quo iret", tamquam certa pro incertis relinquens.

Item idem Abraham "fide", hoc est per fidem, "demoratus est in terra repromissionis", id est in terra illa, quam sepius promiserat ei Dominus, "tamquam in aliena". Cum enim ibi esset quasi extraneus et advena, non possessor illius terre, quod et ipse, cum sepulturam uxoris sue filiis Ebron emeret, confessus est dicens: Ego quidem peregrinus sum et advena.[1309] Ipse quoque istam peregrinationem in mente habens ad patriam, quam intelligebat celestem, toto nisu animi suspirabat. "In casulis", quasi in tentoriis, "habitando", significans, quia in terrenis nostrum non debemus animum figere, sed ad domum illam stabilem semper tendere, que a eo nobis in ęternum preparata est. "Cum Ysaac". Non quod isti cum illo tunc essent, sed tale est, acsi dicatur: Sicut Ysaac et Jacob postmodum, quibus et eadem facta est promissio. Et hoc est "coheredibus eiusdem repromissionis", id est, quibus terra illa repromissa est in hereditatem.

"Expectabat enim". Et bene dixi tamquam in aliena in casulis quidem habitando, quia "expectabat", hoc est ex fide ad illam civitatem totis tendebat viribus, que sola potest dici[a] fundamentum habere ab omni dissolutione aliena. "Cuius" videlicet civitatis, "Deus" est "artifex". Quod exponit, acsi dicat: Hoc est conditor.

Item, "fide", hoc est per fidem, "ipsa Sara" etiam "sterilis", quod contra conceptum erat, "accepit virtutem", id est efficaciam mirabili Dei potentia, "in conceptione seminis", hoc est ad concipiendum semen in generationem Filii. Et non solum sterilis accepit, sed etiam "preter tempus etatis", quando videlicet[b] convicta senio frigida erat, ut ei ex toto natura negaret filium. Divina tamen potentia, cum unum illorum satis posset impedimento esse, nedum ut frigida a

[a] dici] *inter lineas* [b] videlicet] *inter lineas*

[1309] Gen. 23,4

frigido conciperet, nichilominus, quod pollicitus est, tandem complevit. "Quoniam fidelem". Et bene dixi: Fide accepit virtutem, quia ipsa, etsi non statim, "fidelem" tamen "credidit eum", scilicet Deum, "qui repromiserat", quia sepius illis promiserat filium. Sara quippe, cum in primis subridens non crediderit, tandem correcta ab angelo credidit, quod ei dictum est. Uterque autem risit, tam Sara quam Abraham.[1310] Sed risus Sare ad incredulitatem fuit non credentis se habiturum filium; Abrahe vero fuit signum gaudii, quod in mente de promisso habebat filio.

"Propter quod", id est, propter quam fidem, quia videlicet Deo firmiter crediderunt, quantumcumque videretur impossibile, quod dicebat. "Et", id est etiam, "ab uno", hoc est a corpore Abrahe, sive a corpore Sare, "orti sunt", id est nati sunt multi, subaudis. "Et hoc emortuo", id est non habente vires conceptui idoneas. Abraham enim etiam cum Sara sterili corpus habebat emortuum, quia frigidus cum frigida, vetulus cum vetula generare naturaliter non poterat, qui tamen, ut sancti astruunt, cum Cetura iuvencula, que calida erat, prolem potuit habere.[1311] "Tamquam sidera". Acsi diceret: Ita orti sunt multi "tamquam sidera" etc. Per multitudinem autem siderum celi et harenarum, que innumere sunt, filiorum Abrahe monstrat multitudinem, qui constitutus est pater multarum gentium, cuius semen multiplicatum est in filiis tam secularibus quam celestibus. "Que", videlicet harena, "est innumerabilis", id est innumera est. "Ad horam", id est ad littus maris. Hora enim dicitur rei extremitas, veluti vestis iuxta illud: Quod descendit in horam vestimenti eius.[1312] Tantum enim unguenti erat, ut usque ad vestis etiam extremitatem deflueret.

Item, "iuxta fidem" etc., id est perseverantes in fide mortui sunt. Sed cum generaliter dicat, Enoc autem defunctus non sit, de quo supra meminit, nota huiusmodi locutiones, ut beatus asserit Jeronimus,[1313] non eo modo semper, quem videntur sonare, sed quandoque pro maiori parte accipien-

---

[1310] Cf. Gen. 18 [1311] Gen. 25,1 sq. [1312] Psalm. 132,2 [1313] Hieronymus, *Comment. in epist. ad Ephes. lib.* 1 c. 1 (PL 26,493)

das esse. Tale est ergo, acsi dicatur: Vix aliquis eorum, qui commemorati sunt, invenitur, qui iuxta fidem mortuus non sit. "Non acceptis" tamen "repromissionibus", hoc est non accepta statim vita ęterna, que eis sepe promissa fuit et ad quam semper aspirabant, "sed a longe eas", scilicet repromissiones, "aspicientes", hoc est intelligentes, se illas quandoque habere post adventum videlicet Christi, quem a longe per spiritum previdebant. "Et salutantes", id est cum gaudio expectantes et quasi Christum venerantes, in cuius adventu id compleri intelligebant. Et ideo, dum viverent, "semper confitentes", id est astruentes, quia videlicet "peregrini et hospites" etc. Hanc enim vitam suam appellabant peregrinationem. Unde, cum Jacob venisset Egiptum et a rege, quot annorum esset, interrogaretur, post aliqua subiunxit dicens: Dies peregrinationis mee boni et mali sunt, hoc est prosperi et adversi. Ego autem peregrinus sum et advena super terram[a] sicut omnes patres mei.[1314]

"Qui enim". Dicebant, inquam, quia peregrini et hospites sumus super terram, et bene, cum ad celestia tenderent, quia videlicet illi, "qui hoc dicunt, significant" etc., hoc est monstrant se nondum esse in patria, sed "patriam" adhuc "inquirere".

Diceret aliquis: Et, cum patriam inquirerent, eam fortasse inquirebant, de qua egressi sunt. Non utique, quia, si[b] illam desiderarent, illuc quidem poterant redire. Et hoc est, quod supponit "Et si quidem" etc., acsi dicat: Illud dicendo significabant se patriam inquirere, "et" non illam quidem, de qua exierunt, quia, "si illius meminissent", id est, si illius patrie memores erant, hoc est eam desiderassent, "de qua" videlicet "exierunt", id est egressi sunt, "habebant utique tempus revertendi", hoc est licentiam redeundi. At vero reverti noluerunt scientes, quod homo in terra sua tanto fervore Deum amplecti nullatenus potest, quanto in aliena, ubi a fratribus, sororibus, ab amicis omnibus dicitur tamquam

[a] super terram] *inter lineas* [b] si] *inter lineas*

[1314] Gen. 47,9 *commixtum cum* Gen. 23,4

cum discipulis beati Martini:[1315] Pater, cum nos deseris, cur desolatos relinquis, qui tuo egemus consilio, quibus oportet, ut provideas et sollicitudinem deinceps habeas. Hoc autem beatus attendens Jeronimus[1316] super illum versum: Audi, filia, et vide, inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum Patris tui,[1317] ait ita: More Abrahe egredientis de terra et cognatione sua loquitur Dominus ad fidelem animam, ut spretis omnibus summo ei amore cohereat. Tantum enim ad Deum fervorem in propriis nullo modo habere quis poterit, quantum in alienis.

"Nunc autem". Habebant, inquam, tempus revertendi, si illam quidem appeterent patriam. Sed "nunc" etiam ea ex toto contempta[a] "appetunt", id est desiderant, "meliorem" videlicet patriam, quam exponit dicens, "hoc est celestem".

"Ideo non confunditur", quia videlicet totis desideriis ad celum suspirantes terram ex toto contempserunt, Deus specialiter Deus eorum, hoc est Deus Abrahe, Ysaac et Jacob, id est Deus talium, qui omnino propter ipsum omnia contempnunt temporalia, voluit appellari. Et hoc est "ideo", quia videlicet tales extiterunt, "non confunditur", id est non erubescit, "Deus vocari", id est appellari specialiter "Deus eorum", hoc est talium, qui propter ipsum omnia aspernantur et vilipendunt, quecumque terra pollicetur, et quanto terrena maioribus implicita et doloribus experiuntur, tanto minus ea appretiantur.[b]

"Paravit enim". Vere non confunditur. Quod in hoc apparet, quia videlicet "paravit", preparavit, "illis", id est huiusmodi, "civitatem" fundamenta habentem, de qua supra meminit.

Item "Abraham fide", id est per fidem, que in eo mirabilis fuit et magis probata. Unde et prima via credendi dicitur, non quod primus crediderit, sed quia maxime in fide pro-

---

[a] etiam—contempta] *in margine* [b] et quanto—appretiantur] *inter lineas et in margine*

[1315] Sulpicius Severus, *Epistula* 3 n. 10 (ed. C. Halm. CSEL Wien [1866] 148) [1316] *Non in Breviario in psalmos*. Psalm. 44 (PL 26, 1016) [1317] Psalm. 44,11

batus est. Cum enim Deus prius dictis quasi contraria diceret, ipse tamen omnibus constanter fidem adhibebat. Dominus autem, cum ei promitteret filium et deinde diceret, quia non in Ismaele, sed in Ysaac vocabitur tibi semen,[1318] tandem eumdem iuberet interfici, et ab ipso, quod tanto intolerabilius fuit, quanto abhominabilius est patrem proprium interficere filium, quis est, qui non diceret: Deus iste insanus est, qui posterioribus destruit priora. Ille tamen in fide immobilis extitit, qui, quantumcumque Deus impossibilia videretur precipere, credidit tamen priores nullatenus cassari promissiones.

"Ysaac", suum videlicet filium, "obtulit" tunc quidem, "cum temptaretur", id est, cum Deus vellet eum probare et, qualis esset, aliis cognitum facere. "Et" ita "unigenitum", hoc est filium unicum "offerebat", id est Deo sacrificabat. "In quo", videlicet unigenito, "susceperat", || a Deo quidem, 179r
"repromissiones", has videlicet, quas supponit. Et hoc est "ad quem", scilicet Abraham, "dictum est" istud quidem, quia videlicet "in Ysaac", non in Ismaele, "vocabitur tibi semen".

Diceret aliquis: Et cum ita videretur destruere, quod promisit precipiens illum interfici, in quo facte sunt promissiones, quomodo potuit fieri, quod iste tamen nichilominus tam constanter crediderit. Ecce quomodo "arbitrans" quidem, hoc est firmiter credens, quia etiam "a mortuis" etc., id est possibile fuit Deo illum a morte resuscitare et eo resuscitato ita promissionem complere.

"Unde et eum" etc. Acsi diceret: Propter quam obedientiam, quia videlicet ita in omnibus obediens fuit, ipse quidem Abraham "accepit eum", scilicet Ysaac, "et", id est etiam, "in parabolam", id est in figuram et tipum Christi. Acsi dicat: Quia ita obediendo tam firmiter credidit, revelavit ei Deus, quod in Ysaac prefiguratus est Christus. Sicut enim Ysaac non est interfectus, sed aries, ita Filius Dei, qui pati non potest, omnino extitit illesus et sola humanitas ei unita passa est. Vel aliter: "Unde" etc., hoc est, quia videlicet

---

[1318] Gen. 21,12

tam constans in fide fuit, ipse quidem Deus "accepit eum", scilicet Abraham, "in parabolam", hoc est in exemplum fidei, ut ad ipsum, cuius fidei constantia maxime probata est, respiciant posteri ad imitationem, qui, ut supra memini, prima via credendi dictus est.

"Fide" etc. Post Abraham ad Ysaac venit. Et hoc est "fide", id est ex fide, "Ysaac benedixit" etc., id est multiplicavit unum quidem in celestibus, alterum vero in terrenis, "et" hoc de "futuris". Per illos enim duos intelligebat multiplicationem duorum populorum, quorum unum ditaturus erat Deus in temporalibus, alterum vero in bonis eternis.

Sed obicitur, quod deceptus benedixit Jacob.

Philosophus: Nichil, inquit, impedit, si etiam deceptus benedixerit, sciens tamen in prima benedictione illos accipiendos esse, qui in celis ditandi erant; in posteriori vero eos, quos in terra locupletaturus erat Deus.

Item, "fide," ex fide, "Jacob moriens", cum videlicet esset in Egipto, "singulos filiorum" etc., id est singulis benedictionem dedit, "et adoravit" etc., hoc est inclinavit ad ipsum, qui potestatem, que per virgam designatur, in illa habebat terra, ex divina recognoscens inspiratione eum ceteris omnibus maiorem futurum esse. Alii vero astruunt, quod eum adoraverit, quia in ipso Christum prefiguratum esse intelligebat.

Item, "fide", ex fide, "Joseph moriens", id est, cum moreretur, "de profectione" etc., hoc est predixit eis, quod quandoque a terra illa egressuri erant. Acsi ita diceret: Vos autem adhuc a servitute ista liberabit Dominus et educens singulos de terra hostium dabit vobis terram vestram. Et egredientes videte, ut ossa mea vobiscum portetis, que patribus meis in terra illa consepeliatis. Et hoc est, quod subponit "et de ossibus suis mandavit", id est rogavit, ut, cum egrederentur, secum sua deferrent ossa. Sicut enim animam suam cum animabus eorum eodem intelligebat gaudio participare, ita et in eodem loco ex quodam affectu, quem apud illos habebat, sua etiam esse volebat corpora, ut sua quidem

eorum ossibus consepulta essent. Nonnulli vero astruunt, quod ideo in illo loco[a] sua desiderabat sepeliri ossa, ut videlicet citius resurgeret intelligens, quod Dominus in terra illa moriturus erat et resurrecturus.

Item "fide", hoc est ex fide parentum, "Moyses" etc. Parentes enim, cum viderent, quia infans erat mire pulcritudinis, credebant etiam, quod Deus aliquod magnum erat per ipsum operaturus. Et ideo illum occultaverunt. Et hoc est, quod subiungitur "eo quod vidissent elegantem infantem", id est puerum mire pulcritudinis. Per tres autem menses occultatus est, quia, cum cresceret et vehementius clamaret, non ausi sunt parentes eum amplius in abscondito habere, sed iuxta ripam proiecerunt eum, ubi postmodum a filia regis inventus est.

"Et non timuerunt regis edictum". Acsi diceret: Timuerunt quidem, sed propter timorem non dimiserunt, cum facerent, quod edictum prohibebat. Tale autem est illud: Christus non timuit mori; acsi dicatur: Timuit quidem et magis utique quam aliquis alius, sed timor in ipso efficaciam non habuit, qui pro timore non dimisit, quin faceret, quod faciendum erat.

Attende autem, quod Josephus[1319] de elegantia Moysi multum loquitur, quem puerum forme mirabilis astruit extitisse, cui etiam pre pulcritudine in via, ubi erat, assistebant transeuntes, ut eum conspicerent quem filia regis, que Therinus appellabatur, inventum in ripa, ubi a parentibus proiectus erat, adoptavit in filium et eum tamquam filium proprium precepit educari. Puerum autem postea in aula ludentem, quia tam magne pulcritudinis erat, pater puelle accepit in gremium, qui coronam quandam, quam rex habebat in capite, accipiens sub pedibus conculcavit et eam ex toto diminuit. Quod videntes aruspices regis, qui et sacerdotes vocabantur, augurati sunt coram rege dicentes, quia iste est, qui humiliaturus est Egiptum, et consuluerunt, ut interficeretur, et deinceps querentes puerum mortem ei machinabantur.

[a] loco] *inter lineas*

[1319] Flavius Josephus, Ἰουδαικὴ αρχαιολογία, II, cap. 9, 6-7

Hoc autem audiens filia regis eum statim occuluit, donec tandem Ethiopes in regnum illius insurgerent et terram illam plurimum devastarent. Tunc enim ait ad patrem filia: Si autem volueris, dabo tibi evadendi consilium. Ecce filius meus adoptivus, quem illi querebant interficere. Cui consulo, ut tradas exercitum, et ab impetu hostium liberabit te, quia Dominus cum illo est. Consilio itaque filie traditus est ei exercitus, qui, cum cepisset in hostes ire, quia terra illa Ethiopum, que nimis pulverulenta est ex nimio solis fervore, multum habundat serpentibus, Moyses mirabilis ingenii quedam aptavit animalia, que ibices appellantur,[a] quorum anhelitus fugiunt[b] et flatus, quoniam, quascumque inveniunt serpentes, devorant. Cum igitur securi per medios irent serpentes, qui alienigenis nimis nocivi sunt, regina illius terre, quia regnum illud sicut et regnum Egipti maxime per mulieres semper gubernari solebat, audita mira de serpentibus Moysi calliditate vehementer cepit metuere dicens apud se, quia iste magnus est, qui ita securus venit, et quosdam de suis premittens obtulit ei[c] matrimonium, ut videlicet ipse eam in uxorem acciperet. Moyses itaque id audiens contraxit cum illa coniugium et ita tamquam rex factus est Ethiopie. Unde postmodum dictum est, quia Aaron et Maria soror Moysi murmuraverunt contra ipsum propter Ethiopissam.[1320] Postremo autem Moyses videns afflictionem populi Dei relicto regno Ethiopie maluit affligi cum populo suo et si quo modo posset eos iuvare, quam in temporalibus vivere deliciis. Et sic tandem cum populo Dei afflictus ad Getron cognatum suum veniens quasi de rege factus est pastor.

Item, "fide",[d] hoc est per fidem, "Moyses grandis factus", id est, cum esset adulte etatis, "occidit Egiptum", id est quemdam de Egiptiis interfecit. Quadam enim vice, cum Egiptiacus quidam et quidam Hebreus inter se pugnarent, Moyses supervenit, qui memor tante afflictionis populi Dei

---

[a] appellantur] *correctum ex* appellantes [b] fugiunt] fugunt [c] ei] *inter lineas* [d] fide] fidem

---

[1320] Num. 12,1

dolore commotus occidit eum et, ut aiunt, sub sabulo occuluit.[1321] Postea vero, cum inveniret duos hebreos altercantes et vellet eos reconciliare dicens, quia vos, qui de eadem gente estis, non convenit ita litigare, dictum est ei ab uno eorum ita: Visne me interficere sicut alia die quemdam occidisti Egiptiacum.[1322] Quod audiens Moyses timens, ne ad aures regis venisset, fugit, ut astruunt, ad Getron sacerdotem, ubi, ut paulo ante memini, pastor effectus est.

Item, "fide", hoc est per fidem idem Moyses "grandis factus" etc., id est factus adulte etatis, ut paulo ante dictum est, cum filia regis eum suum filium appellaret, ex toto ipse se eius esse filium denegavit, "magis eligens" etc., id est afflictiones incurrere cum populo illo, "quam temporalis" etc., id est quam iocundari in temporalibus bonis, ubi sepe excedimus et, quod fieri non convenit, facimus. Peccatum enim solet frequenter accipi pro eo, quod non convenit fieri. Unde Aristoteles: Si is, inquit, peccet qui assignat, non convertitur. Ille, dico, "estimans", id est arbitrans "maiores divitias" etc., id est teshauro Egiptiorum longe excellentiorem thesaurum, "improperium Christi", id est propter Christum, quem venturum intelligebat, improperia sustinere. Vel "improperium Christi", id est ad similitudinem Christi et membrorum eius, cui plurima illata sunt improperia, quia, ut ipse testatur in propheta: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.[1323] "Aspiciebat enim". Acsi diceret: Et bene dico: estimans, quia "aspiciebat", hoc est intelligebat, remuneratorem omnium credens, ut supra dictum est,[1324] quia Deus inquirentibus se remunerator est.

Item, "fide", ex fide, "reliquit Egiptum", id est dimisit precepto Domini educens fratres suas de terra illa, ne in ea maneret amplius servitute. Ille, dico, "non veritus" etc., id est non metuens regem, etsi ipse animosus esset, hoc est magne potentie. Ut enim supra memini, quamvis eum timeret, propter metum tamen non dimisit, quod ei a Deo

[1321] Gen. 2,12 [1322] Gen. 2,14 [1323] Psalm. 68,10; Rom. 15,3
[1324] Hebr. 11,6

iniunctum est. "Invisibilem enim". Vere non veritus, quia "invisibilem" etc., id est Deo, qui in sua invisibilis est natura, in omnibus, que dicebat, omnino assensit tanquam eum oculo ad oculum videret.

Item, idem Moyses "fide", ex fide, "celebravit pascha". In Egipto enim primum Hebreis preceptum est, ut pasca celebrarent et sanguine agni postes illinerent, ut ita angelus exterminator, qui percussit primogenita Egipti transiens per illos domos illorum non destrueret nec se nec res suas
179v contingeret. || Et hoc est "celebravit pasca et sanguinis effusionem". Id est in effusione sanguinis agni celebravit pasca, cuius sanguine postes illevit. Et quare? Causam supponit. Et hoc est, "ne", videlicet angelus exterminator, "qui vastabat primitiva", id est percutiebat primogenita Egipti, "tangeret", id est percuteret illos vel domus eorum destrueret.

Item, "fide", id est per fidem, duce Moyse filii Israel "transierunt mare rubrum", ita quod secure "tamquam" ambulantes "per aridam", id est siccam, "terram" unda maris ex utraque parte existente quasi muro a dextris et a sinistris. "Quod", videlicet mare, "Egiptii" persequentes, rex quidem cum exercitu suo, "experti" in pena et morte ipsa "devorati sunt", hoc est submersi sunt. Et bene dicit: Devorati, quia sicut cibus devoratur et absorbetur, ita et ipsi a mari eos undique circumdante absorpti sunt.

Item, "fide", videlicet Josue, "muri Jericho" etc. Cum enim urbs illa a filiis Israel obsessa fuerit, Josue, qui dux eorum erat, preceperat Dominus, ut cum archa federis VII diebus circumdaret urbem. Qui cum ita fecerit, in septima die corruerunt muri ad sonitum tube.[1325] Et hoc "muri Jericho", illius videlicet civitatis, "corruerunt", id est precipitati sunt, et hoc "circuitu VII dierum", id est septimo die, urbe quidem cotidie in septem diebus ab archa circumdata.

"Fide". Item ad commendationem fidei supponit de Rahab meretrice, que etiam ex fide, quam de Deo habebat, explora-

1325 Jos. 6

tores suscepit et eos occultavit, qui venerant explorare, quis in terra illa habitaret, quam Deus eis daturus erat. Quibus illa: Scio, inquit, domini mei, quod Deus, qui tam potens in vobis est, terram istam dabit vobis.[1326] Et, cum veneritis, obsecro, ne me permittatis cum aliis deperire, sed et michi et domui mee parcere dignemini.[1327] [a] Hec itaque Christum quidem non intelligens, etsi fidem non habuerit, que ad salutem sufficeret, habuit tamen eam, quam supra distinxit apostolus, sine qua impossibile est aliquem salvari, quia videlicet Deus est et inquirentibus se remunerator est.[1328]

Sed queritur, utrum fides ista catholica sit.

Philosophus: Est utique. Credere enim Deum esse est fides catholica, quam nisi quisque firmiter tenuerit, salvari non poterit.[1329] At vero hec fides tam electis quam reprobis communis est. Diabolus enim credit Deum esse sicut et nos, et omnia etiam, que de Christo credimus, plurimum credit, cui et plurimum nota sunt et per quem facta. Cuius mortem, quam persuaserat volens tandem dissuadere in sompnis uxori Pilati apparuit dicens ei, ne vir suus quicquam haberet cum viro sancto et relligioso. Unde et ipsa: Multa passa sum per visum propter hominem istum.[1330] Tunc enim primum credidit illum Christum esse, cui omnes scripturas concordare perspiciebat et quecumque a prophetis dicta ei convenire. Unde timens, quod prius machinatus erat, dissuadere omnino nitebatur, credens eum illum esse, cui omnes scripture competebant. Quicquid enim antea dixerit ei diabolus, veluti cum eiecisset eos ab humanis corporibus: quid venis nos torquere ante tempus,[1331] non erat nisi temptatio, ut si quo modo, quis esset, ab eo extorqueret. Credit itaque diabolus omnia eque, sicut et nos, que credenda sunt, que fides catholica est. Sed tamen in Deum vel in Christum non credit, quia ei per amorem non coheret.

---

[a] sed et—dignemini] *inter lineas et in margine*

[1326] Jos. 2,9 [1327] Jos. 2,12 sq. [1328] Hebr. 11,6 [1329] *Symbolum Athanasianum*. H. Denzinger, *Enchiridion* 40 [1330] Matth. 27,19 [1331] Matth. 8,29

Queritur ergo, an fidem habeat catholicam.

Ita, inquit, cum credat Deum esse, passum esse etcetera, que homini ad salutem credi necessarium est, quorum quodlibet, qui credit, fidem habet catholicam. Gentiles quoque hanc fidem, quam nos dicimus catholicam, habuerunt, etsi eam non habuerint, que ad salutem necessaria est, sicuti Cornelius, qui unum Deum credidit trinum et unum, quemadmodum philosophi gentium, quod sua investigaverunt ratione, de humanatione Verbi nichil intelligentes, que humane rationi consentanea non erat. De quibus dicit apostolus, quia, quod notum est Dei manifestum est in illis,[1332] id est, quod de Deo ratione investigari potuit, non solum illis manifestum est, sed et aliis per illos. Cornelius igitur fidem, quam nos habemus, habuit catholicam. Pro cuius fide exaudite[1333] sunt sue ad Deum elemosine et pro dilectione, quam habuit, quicquid credi de Deo necessarium est, meruit per Petrum sibi revelari.

Cum itaque diabolus fidem catholicam habeat, queritur, an catholicus dicendus sit, cum, quemadmodum, qui albedinem habet, albus est, eodem modo videatur, ut qui fidem habet catholicam, dicatur catholicus.

Philosophus: Catholicum, inquit, non dicimus, nisi sanctum et hominem religiosum. Unde cum diabolus religione omnino careat, nequaquam catholicus dicetur, sicut nec membra ipsius, licet et fidem habeant catholicam.

Litteram sic lege: "Fide", hoc est per fidem, quam de Deo habuit, "Rahab meretrix excipiens exploratores", id est illos, qui terram illam venerunt explorare, et hoc "cum pace" nullas eis parans insidias, sed pacifice illos suscipiens familiariter eos comitabit, "non periit", id est non est destructa, "cum incredulis", id est infidelibus, qui videlicet non credebant, quod ipsa crediderat.

Gentes autem infideles dicuntur, non quod fidem omnino non habeant, quia, ut beatus dicit Jeronimus,[1334] infidelis etiam sine fide non est, sed quoniam fidem Christi non habent.

[1332] Rom. 1,19 [1333] Act. 10,31 [1334] *Locus non inventus*

"Et quid adhuc". Acsi diceret: Multa ad fidei induxi commendationem. Sed tot et tanta possunt adhuc induci, quod ego toto tempore vite meę ea explicare non sufficio. Et hoc est, quod subiungit: "deficiet me" etc., hoc est prius deficiet tempus meum, quam enarrem, quid iste vel ille per fidem fecerit. Gedeon autem, Baruch, Samson et Jepte, hii omnes post Josue, qui successit Moysi, iudices in illo fuerunt populo, cui illi presidebant et quorum consilio populus regebatur et expugnabantur hostes, de quibus Jepte, cum esset in expeditione, vovit Deo, ut, si daret sibi victoriam, quicquid ei primum, cum rediret, occurreret, ipsi sanctificaret. Triumphatis autem hostibus primum filia redeunti occurrit, quam et ipse Deo sacrificavit.[1335] Cuius factum non laudatur, sed fides plurimum commendanda est.

"David et Samuel". Isti prophete fuerunt. Sed David rex et propheta fuit, in fide constantissimus, homo mirabilis iustitie, qui Johab dapifero suo, qui ei multa bona fecerat, serviens tamen iustitie illi non pepercit. Et "aliis prophetis", id est ceteris prophetis veluti Jeremia, Ezechia. "Qui", viri videlicet predicti, "per fidem vicerunt regna", id est ex fide fundamento omnium bonorum reges triumphaverunt multos, "operati[a] sunt iustitiam", hoc est iustitiam, quam interius habebant, foris per bona opera exhibuerunt. Postremo "adepti sunt repromissiones", id est assecuti sunt vitam illam, que sursum est, eis sepius promissam.

"Opturaverunt ora leonum". Plurale ponit pro singulari.[b] Daniel enim, qui positus fuit in lacu leonum tantum legitur ora leonum opturavisse. "Extinxerunt impetum ignis", sicuti IIIes pueri, qui, cum positi essent in camino ignis et fornace, flamma repressa est et ignis impetus ex toto extinctus est. "Effugaverunt aciem gladii", id est accinctos gladio. Unus enim, ut habetur in istoria, duo effugabat milia. "Convaluerunt de infirmitate". Item plurale pro singulari. Rex enim Ezechias de morte etiam naturali legi-

---

[a] operati] operaricti [b] singulari] *correctum ex* singulare

---

[1335] Iudic. 11

tur convaluisse divino miraculo. Deus enim, cum ei mors naturalis incumberet et ille in seipso naturaliter deficeret, annos XV superaddidit.[1336] "Fortes facti sunt in bello". Non dicit simpliciter fortes, sed fortes in prelio, ut videlicet, quam constantes in bello fuerint, insinue, qui morte etiam imminente hostibus non cedebant. "Castra verterunt exterorum". Hoc est tentoria extraneorum destruxerunt. Exteri enim dicuntur, qui extra sunt quasi alienigene, qui videlicet sunt de gente alia.

"Acceperunt mulieres" etc., id est filios suos a morte per prophetas resuscitatos susceperunt, sicuti de vidua illa legitur, cuius filium a mortuis resuscitavit Heliseus.[1337]

Et nota, quod Dominus a longe excellentie matris sue consulto providebat, qui non solum in veteri testamento mulieribus hanc reservavit prerogativam, ut earum resuscitaret filios, sed et in novo. Ipse enim[a] vel mulierem vel filium mulieris vel mulierum supplicatione mortuum resuscitavit. Filiam quippe archisinagoge in domo a mortuis revocavit. Filium quidem vidue mulieris extra portam. Lacrimis vero Marie et Marthe Lazarum quadriduanum.

"Alii autem", id est quidam ex illis, "distenti sunt", hoc est non statim mortui sunt, sed in diversis patibulis extensi, nec tamen mortem evaserunt. Et hoc est "non suscipientes redemptionem", id est liberationem, sed propter Deum mortui sunt, "ut" ita "invenirent meliorem resurrectionem", hoc est vitam meliorem, ad quam sancti finitis resurgunt laboribus et huius vite angustiis.

"Alii vero", de numero videlicet illorum, "experti ludibria", in opprobriis, "et verbera", verberationes intolerabiles. Et non solum ludibria et verbera, sed et "insuper", id est preterea, "vincula et carceres", quia et sepe vincti et in carceribus positi sunt propter Deum.

"Lapidati sunt", ut Ezechias, "secti sunt", in Jeremias, "temptati sunt" tum minis tum promissis, ut suum dimitterent propositum. "In occisione gladii mortui", hoc est

[a] enim] *inter lineas*

[1336] 4 Reg. 20,6 [1337] 3 Reg. 17

gladio interfecti sunt. "Circumierunt", id est diversa ambierunt loca, "in melotis", id est melotis induti. Melus autem, ut aiunt, est quoddam animal, quod taxus appellatur, de cuius pelle vestis facta melota dicitur. Vel, ut quibusdam placet, melota est cilicium ex pilis illius, qui multum austeri sunt, contextum. "In pellibus caprinis", id est in vestibus inde compositis. "Egentes" in necessa || riis. "Angustiati" 180r
in mente. "Afflicti" in carne.

"Quibus dignus" etc., id est, quorum conversatione carnales, qui recte mundus appellantur, quasi insensibiles, qui de Deo parum sentiunt, digni non erant. "In solitudinibus errantes", id est solitaria loca petentes. Quod exponit dicens "in montibus", id est in locis montanis, et "in speluncis et in cavernis terre". Speluncas autem appellant, que naturales sunt, cavernas vero, que vel casu fiunt vel nostra operatione. In his autem habitabant illi fugiendo eos, qui eorum querebant animas. Veluti Helias, qui, cum semel sursum esset in arbore, venientes quidam, qui querebant animam ipsius, dixerunt eum recognoscentes: O homo Dei, descende. At ille: Si homo Dei sum, veniat ignis de celo, qui me hominem Dei ostendat. Et statim ignis de celo veniens illos concremavit. Et ita homo Dei liberatus est.[1338] [a] Heliseus quoque discipulus illius, qui primus vitam illam solitariam incepit, in solitudine manebat.[b]

"Et hii omnes", qui videlicet dicti sunt, "probati" nobis quidem "testimonio fidei", id est per bona opera, que attestabantur eos fidem habere, sine qua non tanta sustinerent, "non acceperunt repromissionem", id est statim non introierunt in requiem illam sepius promissam, quam nos sine dilatione ingredimur. Et hoc est, quod subnectit: "Deo pro nobis" etc., id est de nobis melius disponente, qui a regno non differimur, sed statim remoto per Christum[c] repagulo ad vitam transimus, quia, cum Abrahe morienti posset dici: Hodie eris extra paradisum, latroni etiam dictum

---

[a] est] *inter lineas* [b] manebat] *sequitur spatium dimidiae partis lineae* [c] per Christum] *inter lineas*

[1338] 4 Reg. 1

est, quia hodie mecum eris in paradiso,[1339] "ut" videlicet ita non "consumarentur", id est venirent ad perfectionem illam vite, ubi consummatio hominis est. Hic enim incipimus, ibi consumamur. Et hoc "sine nobis", quia tam cito latro ingressus est vitam quam cito Abraham.

[1339] Luc. 23,43

[Cap. 12]

"Ideoque". Acsi diceret: Quia videlicet illi, qui precesserunt, tanta propter Deum aggressi sunt, tanta subierunt pericula tamquam certa pro incertis relinquentes, presertim cum nullus precesserit, quem imitarentur, nec tamen post tantas agones, quas sustinuerunt, bravium statim acceperunt, nos multo magis debemus uti et multo maiora tolerare, quibus ianua celi aperta est, non currentes quasi in incertum, sed multos habentes, quos imitemur precessores. Et ita in fine huius epistole, ut in exordio meminimus, vult eos in suis consolari tribulationibus, quas vehementissimas sustinebant. Et hoc est "ideoque", quia videlicet et statim ingredimur et illos in exemplo habemus. Quod supponit "et", id est etiam, "nos habentes" etc., id est non unum testem, sed multitudinem testium, id est eorum, qui nobis vitam illam contestantur. Tanta quippe non sustinerent, nisi beatitudinem illius vite crederent, spe cuius tanta aggredientes periculis quibuscumque imminentibus non defecerunt.

Hos autem nubem appellat propter duo: quia et nubes dat pluviam et protegit ab estu. Ita et sancti patres nobis compluunt mentes nostras irrigando[a] pluvia sue doctrine et ab estu tribulationis nos protegunt non solum verbis, sed et exemplis, tamquam ammonentes, ut eos imitemur. Et ideo "deponentes", id est removentes, "omne pondus", id est omne peccatum, quod ponderosum dicitur, quia non permittit nos ad celum sublevari. Unde in Zacharia habetur, quia iniquitas sedet super talentum plumbi.[1340] Ipsa enim plumbo, quod magni ponderis metallum est, comparatur, quia nos retinet, ne sursum ascendamus et, sicut plumbum de vilibus metallis est, ita et peccatum nos apud Deum viles efficit.

[a] irrigando] *correctum ex* irrogando

[1340] Zach. 5,7 sq.

"Et circumstans". Et non solum deponentes peccata, que iam in nobis sunt, sed et caventes, qui proni sumus labi, ne peccata, que nondum habemus, insurramus, que circumstant et quasi instant nobis cotidie, ut nos provocent ad incurrendum. Et hoc est et "peccatum" deponentes, ne quid incurramus "circumstans nos", id est quod nobis instat quasi circacircum. Quibus ex omni parte occurrunt invia, si a via, que Christus est, deviemus.

"Per patientiam curramus". Acsi diceret: Nos itaque illos habentes in exemplo et deponentes non solum peccata presentia, ne habeamus, sed et futura, ne incurramus. "Curramus" etc., id est properemus agonem consumare, que nobis proposita est et singulis fidelibus, ut videlicet pressuris quibuscumque imminentibus ducem nostrum Christum Jhesum non derelinquamus terrenis ex toto postpositis, que cursum impediunt. Et quia in via multe occurrunt adversitates, omnes quippe, ut supra memini,[1341] qui volunt pie in Christo vivere, persecutionem patientur. Ideo premittit: "per patientiam", que adversis non cedit, quecumque interveniunt.

"Aspicientes". Acsi diceret: Etsi omnia alia cessent exempla, illum ad exemplar habemus pre oculis Dei, videlicet Filium, qui summos pro nobis sustinuit cruciatus, cui preter illam sumam et inaudibilem contumeliam, quod sputis quidem ex omni parte obtectus fuit, tot et tanta illata sunt, quod omne certamen, omnes agones[a] aliorum in comparatione eius nichil sunt. In quo, ut in causis illis, quare sic fecerit, supra memini, nobis in duobus providit, ut videlicet et amorem immitteret et ad vitandam superbiam consuleret. Iste ergo remotis aliis omnibus sufficit ad imitationem, qui est liber noster, in quo possumus legere, quicquid est nobis necessarium non solum hic, sed et in futuro, ubi perfectius legemus in ipso cognoscentes Deum et quem misit Christum Jhesum, in quo vita consistit eterna. Et hoc est "aspicientes in auctorem" etc., id est respicientes omnibus aliis cessantibus Christum Jhesum, qui est auctor fidei nostre et consum-

---

[a] agones] agnones

[1341] 2 Tim. 3,12

mator per passionem suam, per quam in nobis caritatem diffudit, ubi consummatio est.

"Qui", videlicet Jhesus, "proposito" etc., id est proponens currere, sicuti fecit ad gaudium illud summum, quod tam omnia ipsius quam membra sua per ipsum adepturi erant. Et hoc est "sibi proposito", id est non solum anime sue, sed et membris suis. "Sustinuit" non quamlibet mortem, sed "crucem", id est mortem crucis, que tunc temporis mors vilissima erat et genus mortis ignominiosissimum, quod tantum blasphemis debebatur.[a] "Contempta confusione". Sustinuit, dico, sed tamen "contempta", id est spreta ex toto erubescentia, qui confusus non est, etsi probrosum sustinuerit patibulum et cum impiis reputatus fuerit[1342] hinc et hinc suspensis ad contumeliam ipsius.

"Atque in dextera". Diceret aliquis: Et ad quem finem venit? Ecce ad quem. Acsi ita dicat: Et cum omnia ista sustinuerit, ecce iam "sedet", id est requiescit nullis ulterius molestiis exponendus. Et hoc "in dextera sedis Dei", id est tamquam ille, qui Patri equalis est et quem Pater pre ceteris diligit in dextera sua collocatum, quia et homines, ut supra memini, eos, quos magis diligunt, a dextris suis collocant.

"Recogitate enim". Dixi: Aspicientes in auctorem fidei. Et bene, quia iste recogitandus est in omni tribulatione nostra, ut ea, que tamquam ex nobis aggredi non possumus, passione ipsius recogitata pro nichilo reputemus. Et hoc est "recogitate", id est in omnibus pressuris vestris illum reducite in memoriam, cuius tantam patientiam, tantam humilitatem semper habeatis pre oculis. "Qui" videlicet "sustinuit talem contradictionem", id est tam vehementem adversitatem, quam contradictionem appellat, quia voluntati contradicit adversitatis. Sustinuit, dico, "a peccato", id est iustus ab iniustis et indignis hominibus. Et hoc non in membris suis, sed "adversum semetipsum", hoc est in carne sua et in persona[b] propria. "Ut non". Recogitate, dico, "ut" eius

[a] debebatur] *sequitur vacuum dimidiae partis lineae* [b] sua et in persona] *in margine*

[1342] Is. 53,12

recogitatione, etsi corpore fatigati, "non fatigemini animis vestris", sed semper animus vester persistat in proposito. Quod exponit supponens "deficientes", hoc est, ut non deficiatis quibuscumque tribulationibus imminentibus.

"Nondum enim". Bene dixi, ut non fatigemini, qui nondum fatigari debetis, quia ecce "nondum restitistis", persecutoribus videlicet vestris, "usque ad sanguinem". Acsi diceret: Etsi vestra amiseritis, nondum venistis usque ad menbrum pro membro et pellem pro pelle, et omnia dabit homo pro anima sua. Caro enim vestra integra est nec adhuc ab aliquo lesa, quamvis vestra vobis oblata sint, qui quanto magis mundum videtis miseriis implicitum, tanto minus eum appretiemini. Et hoc est "nondum" etc., hoc est nondum usque ad pressuras et lesiones carnis vestre restitistis.

Vos, dico "repugnantes adversus peccatum", id est in effusione sanguinis resistentes peccato. Passione enim iminente, si parati non essent sanguinem pro Christo effundere, peccato non resisterent, imo peccatum incurrerent.

Sed si isti tales essent,[a] quod morte iminente deficerent, siquidem in illa caritatis scintillula morerentur, queritur, an possent in ea salvari dilectione, a qua, si ad tormenta venirent, facile abirent retro.

180v Philosophus:[201*] Ita utique. Multos enim tales divina rapit || clementia, qui in tormentis deficerent, quia raptus est, ne malitia mutaret animum eius.[1343] Sed inquies, quod plus meretur ille, qui talem dilectionem habet, que quibuscumque resistit cruciatibus, quam ille, qui talem, que facile recedit.

Philosophus: Plus, inquit, meretur, si plus diligit. At vero, si[b] equaliter diligunt, cum tamen dilectio huius firmior sit dilectione illius, equalis meriti sunt apud Deum, etsi iste, si mortem videret sibi imminere, negationem Dei incurreret, sicuti Petrus nondum in dilectione Dei ita firmus sicut postmodum, qui timore mortis Deum negavit. In quibus nichil

[a] essent] *inter lineas* [b] si] se

[1343] Sap. 4,11

[201*] *Ad sequentia* cf. *Sent. Herm.* c. 32 (PL 178,1750A,1751D)

refert, dum solummodo in proposito habeant, quod pro nullo periculo Deum contempnent, licet illi suam non cognoscant fragilitatem, quod videlicet ad tormenta applicati Deum denegarent. Nonnulli enim, cum diu in proposito persisterent, in fine Deum reliquerunt, sicuti de Fabricio presbitero legitur, qui, cum infinita in orientalibus verbera sustinuerit, tandem, cum martirium subire debuerit, videns gladium relicto Christo retro abiit. Cuius malitia post longos labores Deus melius usurus erat quam bonitate ipsius.

Nota tamen,[202*] quando quis, etsi non[a] habeat eque radicatam caritatem sicuti Laurentius, dum conscientia sua non dicit ei cum apostolo, quia, neque mors neque vita poterit me separare a Christo,[1344] in sua tamen tepiditate[b] persistens secundum id tamen, quod habet, dilectio sua sufficit ei ad salutem. Si vero talis fuerit quis, qui in proposito habeat, ut eum nichil a Christo separare possit, etsi ad tormenta applicitus facile deficeret, is utique, si ita perstiterit, procul dubio salvatur. Petrus enim, si ante negationem mortuus esset, salvus esset, dum videlicet in illo erat proposito, in quo dixit: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.[1345]

"Et obliti". Quia apostolus audierat, quod isti remissiores erant solito et ab elemosinis faciendis magis se retrahebant propter assiduas rapinas et crebras persecutiones, quas cotidie tolerabant—iudei enim vehementius suos persequebantur conversos quam alios eo, quod legis sue videbantur esse destructores—ideo eos ad pristinum revocat fervorem exortando illos per testimonium Salomonis,[1346] ut attendant pressuras istas, in quibus a Deo corriguntur tamquam filii, sibi esse ad utilitatem, quia electis Dei omnia cooperantur in bonum.[1347] Et quia cotidianis persecutionibus imminentibus hii, ut dixi, laxiores erant et in Deo minus fervebant, arguit eos dicens: "et obliti" etc. Acsi diceret: Nundum

[a] non] *inter lineas* [b] tepiditate] *syllaba* di *inter lineas*

[1344] Cf. Rom. 8,39 [1345] Matth, 26,35 [1346] Prov. 3,11 [1347] Rom. 8,28

[202*] Cf. notam 201*

quidem restitistis usque ad sanguinem, "et" tamen iam "obliti" etc., hoc est paternam illam consolationem, que proponitur vobis per Salomonem, quam dudum bene attendebatis, iam oblivitioni tradidistis.

Et hoc est "que loquitur vobis", id est quam Salomon proponit vobis tamquam filiis, de quorum instructione patres sollicitiores sunt, loquens ita: "Fili mi, noli negligere". Ecce consolatio Patris, acsi dicatur: O fili mi, "noli negligere", id est contempnere, "disciplinam Domini", id est tribulationes istas transitorias, in quibus tamquam virgis suis[a] vos disciplinatur Dominus tamquam filios et per quas purgat et ferventiores efflat, quos ad vitam disponit.

Item, "neque fatigeris", id est non murmures contra ipsum vel deficias, "dum" videlicet "ab eo", id est a Domino, "argueris", id est castigaris in temporalibus pressuris, quibus te corripit. Cum enim adversa sustinemus et amara incurrimus, ad nostram id facit Deus correctionem, ne videlicet in prosperis caro lasciviat et ita homo a suo recedat creatore.

"Quem enim". Et bene dixi: Non fatigeris, dum ab eo argueris, quia eum, "quem diligit", id est ad vitam disponit, "castigat", id est in tribulationibus istis disciplinatur. Et vere castigat, quia "omnem filium, quem recipit", id est, cui vitam confert ęternam, "flagellat", id est verberat, etiam parvulos, quos huius mundi exponit miseriis.

"In disciplina". Post testimonium Salomonis redit ad se apostolus consolans illos, sicut inceperat, et rogans, ut in[b] disciplina Domini predicta perseverent. Et hoc est "perseverate", id est persistite, "in disciplina", id est in tribulationibus, quas sustinetis, que sunt vobis ad disciplinam, hoc est ad castigationem.

Et bene dico: Perseverate in disciplina, quia "tamquam filiis" etc., hoc est[c] quod Deus vos disciplinatur, ostendit se patrem vestrum esse, vos vero filios, de quibus ita est sollicitus tamquam pater de filiis.

---

[a] tamquam virgis suis] *inter lineas* [b] in] *inter lineas* [c] tamquam—est] *inter lineas*

"Quis enim". Et vere in his offert se vobis tamquam filiis. Quod inde apparet, quia videlicet "quis filius", est, subaudis, "quem" etc., id est, quem pater non castigat. Acsi dicat: Nullus filius est, qui a patre non corripiatur. "Quod si". Acsi diceret: Ita nullus filius est, quem pater non corripiat.

"Quod", id est sed, si vos "extra disciplinam", id est si ab aliquo non corripimini, "cuius" etc., id est cuius patris vos omnes filii estis? Quasi dicat: Nullius, cum videlicet nullus vos corrigat. "Ergo adulteri". Et si extra disciplinam estis, "ergo adulteri" etc., id est adulterini filii estis et non filii legitimi, hoc est tales estis, quales sunt illi, quos aliquis in aliena generat uxore, quos suos esse non audet recognoscere nec illos corrigere, quantumcumque etiam viderit eos excedere. Ita et Deus adulterinos filios non solum[a] a sua disciplina, sed et a regno ex toto alienat. Et ideo, cum vos corripuerit, cum gaudio suscipite, quia disciplina ipsius probat vos esse filios. "Deinde". Probat a minori, quod correctio Domini patienter suscipienda est et ei obedientia exhibenda, quia cum patribus carnalibus, a quibus videlicet tantum carnem habemus, in omnibus obedimus et eorum correctionem cum omni suscipimus patientia, multo magis patri spiritali, a quo videlicet spiritum habemus, debemus obedire, qui non solum auctor nostrum est, sed et reparator, a quo vitam expectamus ęternam. Et hoc est "deinde", id est super testimonium predictum vel rationes suprapositas hanc quoque affero rationem, quare Deo maxime obtemperandum sit: quod videlicet "patres quidem carnis nostre", hoc est a quibus caro nostra traducta est, non a quibus spiritum suscepimus, "habuimus eruditores", id est disciplinatores erudientes nos et instruentes in his, que videbantur illis idonea. "Et reverebamur". Acsi diceret: Et licet patres carnis nostre tantum, nos tamen "reverebamur eos", id est magnam illis impendebamus reverentiam obtemperando eis in singulis.

"Nonne". Et quia patribus carnis intantum obtemperaba-

---

[a] non solum] *inter lineas*

mus, "nonne" etc., quasi dicat: Immo multo magis "obtemperabimus", hoc est debemus obtemperare, "patri spirituum", id est patri spiritali, a quo spiritum, qui dignior pars in nobis est, habemus. Et ita "vivemus", id est vitam assequemur ęternam.
"Et illi quidem". Eandem exaugerat probationem, acsi diceret: Et non solum in eo, quod dictum est, apparet, quia huic magis obediendum est, sed et in isto, quod subiungo, quia videlicet "illi quidem" etc., id est patres carnales paucis diebus nos erudiunt, iste vero spiritalis toto tempore vite nostre nos instruit. Et hoc est "in tempore paucorum dierum", veluti, ut in vulgari habetur, usque ad VII annos. "Erudiebant", id est instruebant nos, et hoc "secundum suam voluntatem", hoc est in administratione temporalium.

"Hic autem". Illi erudiebant nos in terrenis amministrandis, sed "hic", pater videlicet spiritalis, erudit nos et cotidie "ad id" quidem, "quod utile est". Et ne ista utilitas intelligeretur in temporalibus, subiungit: "in recipiendo sanctificationem eius", id est ad recipiendam sanctam illam vitam, quam suis confert electis.
"Omnis autem". Diceret aliquis: Hec autem dura et difficilia sunt, ubi non sunt nisi tribulationes et angustie, que vix ab aliquo possunt sustineri. Sed, ut dicit beatus Ambrosius:[1348] Que cura, quam austera sint mandata, ubi tantum consequitur bravium! Obiectionem ergo primum ponit apostolus, deinde remunerationem, quam dabit Deus perseverantibus.
Continuatio: Dixi: Perseverate in disciplina. Sed omnis disciplina tam in preceptis quam in correctionibus "in presenti" etc., id est nullum habere gaudium, sed tantum merorem inferre pre gravitate.
"Postea" etc. Obiecta austeritate discipline subiungit remunerationem, acsi dicat: Gravis videtur disciplina omnis in presenti. Sed que cura de pravitate, quia "postea", id est in futuro, "reddet", Deus subaudis, "fructum iustitie", id

[1348] Cf. Ambrosius, *Expositio in psalm.* 118 Sermo 11 n. 3 (PL 15,1419)

est bravium vite eterne, quod iustis pro sua debetur iustitia, et hoc "pacatissimum", quia fructus ille in summa pace erit, ubi nullus dolor, nulla angustia, ubi utique nichil erit contra voluntatem fruentis, quia, ut supra memini:[1349] Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam eternam custodiet eam.[1350] Reddet, dico, et hoc non inchoantibus, sed "exercitatis per eam", hoc est perseverantibus in ea. Et ita ad disciplinam istam eos allicit, ubi tantum expectatur premium.

"Propter quod". Ut supra memini, propter bona sua, que cotidie eis auferabantur, ab elemosinis faciendis aliquantulum manus suas retraxerant. Item fervorem in tribulationibus tolerandis non ita magnum habebant, ut primum, sed timore reprimebantur pressuris iminentibus. Nunc autem eos hortatur apostolus, ut et manus suas ad pauperes erigant et omnem a se propellant timorem. Et hoc est "propter quod", quia videlicet patri spiritali super omnia obtemperandum est et in eius disciplina perseverandum, "erigite", id est extendite ad elemosinas faciendas, "manus" vestras, que aliquantulum remisse sunt, id est adunce facte ad modum avari, qui aduncas manus habet, ut videlicet, que possidet, firmiter teneat, ne cui quid conferat. Largi vero hominis semper extense sunt manus tamquam omni tempore presto sit ad largiendum. "Et soluta genua erigite", id est omnem timorem expellite, qui in genibus significatur, que ex timore solent homini contremiscere et quasi dissoluta videri, ubi quidem nervi pedum et tibiarum conveniunt.

"Et facite", id est statuite in vobis, "rectos gressus", id est rectas intentiones, per quas ad Deum gradiemini. Tunc autem recta est intentio in nobis, quando, quicquid facimus, facimus propter Deum, qui finis omnium constituendus est. Et hoc "pedibus vestris", id est affectibus. Pes enim in homine affectus appellatur, quia sicut pedibus, quo volumus, ducimur, ita affectu ducente, quo intendimus, spontanei incedimus. "Ut non". Facite, dico, "ut" ita "non" etc., id nemo vestrum "claudicans", id est non recte incedens, hoc

[1349] Cf. notam 1284 [1350] Joh. 12,25

est non habens rectam intentionem, "erret", id est deviet a Christo, extra quem non est nisi error. "Magis autem". Non erret, inquam, sed "magis", id est potius, "sanetur", id
181r est relicto || errore tendat ad salutem.

"Pacem sequimini". Invitavit illos ad patientiam in quibuscumque tribulationibus pro Christo. Nunc, ut ex toto sint perfecti, hortatur eos, ut non solum diligentes se, sed et persequentes, quod perfectorum est, diligant. Et hoc est "pacem sequimini", id est habete pacem, "cum omnibus", non solum videlicet cum diligentibus, sed et cum persequentibus vos, ut vestra dilectio non solum amicos, sed et inimicos complectatur. "Et" sequimini "sanctimoniam", id est propositum bonorum operum, "sine qua", videlicet sanctimonia, "nemo videbit Deum", id est nemo divina fruetur visione. Sed id quidem de contemplativis non est intelligendum sicuti de monachis, qui omnino divinis inhant, quorum non est de operibus ad edificationem proximi quicquam cogitare.

"Contemplantes". Acsi diceret: Non solum considerantes, que vestri sunt, sed et ea, que proximi, ut et illum moneatis venire vobiscum ad bravium. Et hoc est "contemplantes", id est attendentes, "ne quis", ne aliquis vestrum, "desit gratie Dei", hoc est vite ęterne, quam gratiam appellat, quia in vita illa supra merita dabit Deus singulis. Ut enim supra memini, iuxta apostolum non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam, que revelabitur in nobis.[1351]

"Ne qua radix". Acsi diceret: Et quicquid vos faciatis, qualiscumque vestra sit intentio, maxime de exemplis providete, ne quo pravo exemplo proximum vestrum corrumpatis. Peccamus enim quandoque in nos, quandoque in fratrem. Tunc quidem peccat homo in se, quando contemptus in mente manet nec foris per aliquam operationem exhibetur. In fratrem vero, quando contemptum opere exhibet, unde proximus inquinari potest. De quo eos maxime rogat, ut provideant, quicquid interius cogitent, ne exterius opere exhibeant. Et hoc est "ne qua" etc., quasi ita dicat: Et ne

---

[1351] Rom. 8,18

quis desit, hoc maxime contemplantes, "ne" videlicet aliqua "radix amaritudinis". Radicem appellat cogitationem, ex qua et bona et mala exeunt. Tale est ergo, quod dicit, acsi dicatur: "Ne qua radix amaritudinis", hoc est ne aliqua cogitatio, que ad malum est, "rursum germinans", id est, non solum ad consentiendum[a] veniens, sed et in opus prorumpens, "impediat" ad vitam vos consentiendo, proximum vero vestro exemplo perverso.

"Et" ita "per illam", radicem videlicet amaritudinis opere quidem exhibitam, "inquinentur", id est corrumpantur, "multi", id est quam plures fratres.

Item, "ne quis fornicator" etc. Hic autem duo nobis insinuat peccatorum genera. Per prophanum enim eos intelligit, qui ea vendunt, que ad divina pertinent ministeria, veluti qui res vendunt ęcclesiasticas, quos giezitas sive simomachos appellamus, de quo in prima epistola ad Thimotheum dictum est. Per fornicationem vero quodlibet aliud peccatum accipit, per quod a Christo, qui uniuscuiusque fidelis anime sponsus habendus est, fornicamur. De prophano autem Esau in[b] exemplum ponit, qui ea, que ad divinum spectabant officium, fratri legitur vendidisse. Fratres quippe primogeniti, ut iam sepius meminimus, antequam levitici instituerentur sacerdotes, hanc quidem habebant dignitatem super alios, ut sua et[c] eorum munera pro se et illis offerrent Deo tamquam sacerdotes. Esau itaque primogenitus hanc habens prerogativam, que ad Deum pertinebat, pro lenticula etiam eam fratri vendidit attendendo tamen non ita faciendum esse. In quo non est dubium eum grave incurrisse peccatum. Jacob vero, qui emit sciens fratrem suum precisum esse, non peccavit. Ut enim in eadem epistola ad Thimotheum commemoravimus, cum quis videat perversum aliquem in prelatum ęcclesie eligendum esse, si pecuniam dederit, ne eligatur, imo ipse etiam vel alius, quem credit esse idoneum, non peccat. Nec emptio, at potius ęcclesie dicenda est redemptio. Res tamen si postmodum rescita fuerit, ille quidem degradandus est, ne quis sub hac

[a] consentiendum] consentiensum [b] in] en [c] sua et] *inter lineas*

specie boni volens introire, suam in ęcclesia Dei exerceat tirannidem. Et hoc est "ne quis", id est, ne aliquis, "fornicator", sit in vobis, subaudis. "Aut prophanus." Prophanus, dico, veluti "Esau", qui videlicet "propter escam", scilicet lenticulam, "vendidit primitiva sua", id est dignitatem primogenitorum, quam habebat, que ad Deum spectabat.

"Scitote enim". Dixi, ne quis prophanus, ut Esau, et bene dixi, ut et vos quidem caveatis vobis quia "scitote", id est attendite, "quoniam et postea" etc., id est tamquam iure hereditario patris benedictionem habere, "reprobatus est," id est quasi reprobus a benedictione illa remotus est.

"Non enim". Et vere reprobatus est. Quod inde apparet, quia "non invenit", Esau videlicet, "locum penitentie", fructuose, subaudis, de venditione, quam fecerat. Etsi enim peniteret, non ea penituit, quam approbat Deus, penitentia, "sed penitentia Iude, qui propter vilitatem sui penitebat,[a] de quo dictum est: Et penitentia ductus se suspendit,[1352] quam et illi etiam habebant, qui apud inferos erunt, de quibus dicitur: Illi autem intra se gementes et penitentes dicent: Ecce hii inter filios Dei numerati sunt, quorum vitam estimabamus insaniam.[1353] Penitebant ergo impii, non quod malum, quod egerint, adhuc eis displiceat, sed quia puniuntur. Quibus nichil displicebat, nisi quod iustum est, sicuti pena, qua iuste cruciabuntur, in quorum mente tunc etiam erit iniquitas et, si in seculo essent, eam adhuc exercerent, qui tunc Deum summo habebunt odio, quem sibi eternum esse intelligunt tortorem. "Quamquam cum lacrimis". Non invenit, dico, quamvis "cum lacrimis eam", scilicet benedictionem, "inquisisset",[b] hoc est postulasset dicens flens et eiulans: Pater, numquid unam benedictionem tantum habes?[1354]

"Non enim". Dictum est: Contemplantes, ne quis desit gratie Dei, hoc est considerantes non solum de sua utilitate, sed et de utilitate aliorum, quia nemo, quod suum est, que-

[a] qui—penitebat] *inter lineas* [b] inquisisset] inquisissent

[1352] Matth. 27,3-5 [1353] Sap. 5,3 sq. [1354] Gen. 27,38

rat, sed et, quod alterius, ne quis videlicet desit gratie Dei, id est dono Dei gratuito, quod et in futuro electis suis conferet et iam contulit mittens eis amorem per illam[a] summam dilectionem morte filii nobis exhibitam, quia proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum[1355] non meritis nostris, sed sola sua bonitate, ut nos in amorem sui accenderet illo summo amore, quem moriendo exhibuit, quo maiorem exhibere non potuit. Hac enim dilectione, ut ipsa testatur veritas, maiorem nemo habet, quam quis animam suam ponat pro amicis suis.[1356] Per hanc itaque summam gratiam distinguitur tempus gratie, id est tempus amoris ab illo tempore priore, quod erat tempus timoris, in quo illi ex timore potius quam ex amore Deo erant subiecti. Nos vero, qui sumus in tempore amoris, illam summam gratiam habentes pre oculis, ad hoc niti debemus, ut eum amore complectamur et ei obediamus amore et non timore, quod servi est; et servus in domo Domini non manet in ęternum.

Et hoc est, quod ingreditur apostolus dicens: "Non enim" etc. Acsi diceret: Bene dixi: Gratie Dei, quasi distinguens hoc vestrum tempus a tempore priorum, quia vos "non accessistis" etc., hoc est non estis de tempore illo timoris, in quo patres vestri accesserunt ad montem illum, ubi terrebantur, qui semper Deo ex timore, non ex amore servierunt, quod servitium, quod timoris erat, Deus non requirit a vobis, qui ad alium montem accessistis, ad montem videlicet Sion, ut ita vos, qui in tempore amoris estis, ex amore ei serviatis habentes caritatem, cum qua peccatum permanere non potest, quia caritas operit multitudinem peccatorum.[b][1357] Deus enim, ut iam posterius dicet, ignis consumens est, quia ignis ille, hoc est caritas, quam immittit, quicquid in nobis peccati est, ex toto consumit et omne foras mittit peccatum, cum quo nullatenus poterit consistere.

Ad quod obicitur, quia iustus septies cadit in die,[1358] quasi inde possit convinci caritatem cum peccato permanere.

---

[a] illam] illa [b] quia caritas—peccatorum] *inter lineas*

[1355] Rom. 8,32 [1356] Joh. 15,13 [1357] Jacob. 5,20 [1358] Prov. 24,16

Philosophus:[203*] Istud, inquit, allegoricum est, et est tale, acsi dicatur: Ille, qui ad vitam previsus est, per quecumque peccata, quod per septies notatur, volvitur in die, hoc est in hac vita, id tamen, ad quod previsus est, assequetur. De quo psalmista: Si ceciderit iustus, non collidetur,[1359] hoc est: per quecumque volvatur peccata, non dampnabitur, ille videlicet, qui ad vitam predestinatus est. Hic enim iustus pro predestinato accipitur, non pro eo, qui virtutem iustitiam habet, de quo dicit propheta: Si iustus a iustitia sua erraverit, omnis iustitie[a] illius non recordabor.[1360] Iustus tamen, qui proprio vocabulo iustus appellatur, non facile cadit, quia iustitia ipsius, cum sit habitus, non recedit, nisi grandis intervenerit causa. Quem credo multo quidem tempore permanere, quod nec etiam in aliquo peccato excedit veniali. Veniale autem peccatum est, quod commitimus id faciendo, quod scimus faciendum non esse, sed tunc tamen, cum facimus, memorie non occurrit. Criminale vero, cum et memorie occurrat et tamen propter Deum nolumus dimittere, quod scimus dimittendum esse.[204*]

Litteram sic lege: "Non enim accessistis" etc., id est vos, qui estis de tempore gratie, non estis de numero illorum veterum ex timore servientium, qui videlicet accesserunt ad ignem illum, qui in monte visus est, ubi lex data fuit.

"Tractabilem et accensibilem", hoc est, qui tangi et ad quem passibus accedi poterat. "Et turbinem". Erat autem turbo ventorum commotio, qui pulverem circa montem undique commovebant. Erat et ibi caligo quedam, hoc est obscuritas, que cum illis obscuritatem legis[b] significabat. Procellam vero tempestatem appellat ex grandine factam, que ibi quasi lapides cadebat. Quod ergo dicit: Non accessistis ad turbinem et cetera, tale est, acsi dicatur: Non accessis

[a] iustitie] iustie [b] legis] *inter lineas*

[1359] Psalm. 36,24 [1360] Ezech. 18,24

[203*] Cf. *Sent. Herm.* c. 32 (PL 178,1749B sq.) [204*] Cf. Abaelard., *Ethica* c. 15 (PL 178,658C sqq.); *Sent. Herm.* c. 33 (PL 178,1753D sq.)

tis ad montem illum, ubi omnia ista visibiliter contigerunt. In datione enim legis voluit Dominus hec fieri terribilia, ut populum illum dure cervicis saltem per terrorem ad cultum suum alliceret et a nequitia sua reprimeret. Legem quippe Moysi et ceteris iustis non imposuit Dominus, quia, ut dicit apostolus: Iusto non est lex imposita.[1361] Iustus enim lege non ducitur, sed ex amore obedientiam servat. Lex igitur populo illi data fuit ad ipsorum reprimendam malitiam, ut ex timore facerent, quod ex amore facere nolebant. Unde extincti dicebant: Non loquatur nobis Dominus, sed tu loquere || et faciemus, quicquid preceperis.[1362] Nobis vero 181v
non in timore, sed in amore legem dedit, qui, cum in monte ad discipulos sermonem fecerit, ait: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum,[1363] et similia, ut nos quidem amore potius quam timore sibi alliceret.[a]

"Et tube sonum". Ad modum enim tube quidam sonitus ibi auditus fuit, quem Deus in aiere faciebat angelo aliquo amministratore. "Et vocem verborum". Verba enim etiam quedam ibi audierunt illi, unde pre terrore, ut iam paulo ante meminimus, dixerunt: Non loquatur nobis Dominus.[1364] Quibus nec etiam hodie loquitur, sed Moyses velatus,[1365] quem ipsi non intelligunt, eis adhuc loquitur, qui et graves manus legitur habuisse,[1366] quia nemini parcebat, omnes leges constringens, ut, quod lex precipit, velint, nolint, faciant usque ad hodiernum diem.

Et hoc est "quam", videlicet vocem, illi, "qui audierunt, excusaverunt" etc., hoc est recusaverunt audire vocem, dicentes, ut diximus: Non loquatur nobis Deus, ne forte moriamur,[b][1367] sed tu loquere.

"Non enim". Reddit causam, quare illi excusarent, quia videlicet "non portabant", id est non poterant sustinere, "quod dicebatur", id est verba Dei, que ibi fiebant. "Et in bestia". Aliud supponit, quod multum eos terrebat, quod

[a] Nobis vero—alliceret] *in margine superiore* [b] ne forte moriamur] *inter lineas*

[1361] 1 Tim. 1,9 [1362] Exod. 20,19 [1363] Matth. 5,3 sqq. [1364] Exod. 20,19 [1365] Exod. 34,33 [1366] Exod. 17,12 [1367] Exod. 20,19

videlicet, si bestia etiam ad montem accederet, lapidaretur.[1368] Dictum est enim illis, ut suas etiam bestias, ne possent ad montem accedere, servarent, quia, quecumque accederet, statim lapidibus obrueretur. Et hoc est "et si bestia" etc. Acsi diceret: Et non solum pro predictis exterriti sunt, sed etiam propter istud, quia videlicet dictum est, quod, "si bestia" etiam "tetigerit montem", id est ad montem accesserit, "lapidabitur", id est lapidibus celi circa montem cadentibus obruetur.

"Et ita". Dixit multa terribilia circa montem fieri, que carnalis populus sustinere non poterat pre terrore. Quod probat per Moysen, virum spiritalem, qui tamen inde exterritus est.

Litteram sic iunge: Et vere terribile fuit, ut dictum est, quod ibi visum erat, quia "et", id est etiam, "ita", id est adeo, "terribile erat, quod" ibi "videbatur", quod "Moyses", qui erat homo spiritalis, "dixit" ita: "Exterritus" etc., hoc est tamquam extra me factus sum pre terrore, quem non solum in mente habebat, quod notatur per hoc, quod dicit: "exterritus sum", verum etiam extra in corpore exhibebat, quod monstratur, cum subiungit "et tremebundus". Vel unum est alterius expositio.

"Sed accessistis ad montem Syon". Continuatio: Non accessistis, inquam, ad montem illum terroris, hoc est legem timoris non suscepistis, imo accessistis "ad montem Syon", in quo videlicet monte sunt illi, quicumque Deo amore coherent. At vero iudei tamquam in valle et in pede montis erant, qui semper Deo timore, ubi parvuli incipiunt, serviebant. Timor quippe Domini initium sapientie.[1369] Unde beatus Jeronimus[1370] de monachis obedire nolentibus[a] loquens dicit, quia inprimis timore constringendi sunt, ut a timore incipientes tandem in amore consummentur, quia a minimis inchoandum est, ut ad maiora perveniatur. Quod ergo dicit: Sed accessistis ad montem Syon, tale est, acsi

---

[a] obedire nolentibus] *inter lineas*

[1368] Exod. 19,13 [1369] Psalm. 110,10; Eccli. 1,16 [1370] Cf. *Epist.* 100 n. 9 (PL 22,821)

dicat: sed relicto timore conscendistis ad amorem, ubi consumatio hominis est, quia, ut dicit psalmista, omnis consumationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis,[1371] hoc est caritatem, que est quasi mons inter cetera dona Dei. De qua apostolus: Et adhuc, inquit, viam excellentiorem vobis demonstrabo.[1372] Unde merito oleo comparatur caritas. Sicut enim oleum cuicumque liquori permiscetur, semper enatat et super apparet, ita et caritas omnibus donis Dei supereminet et excellentior est, que sola distinguit inter filios Dei et filios diaboli, quam montem Syon, que interpretatur specula, appellat, quia caritas semper tamquam in specula consistit et circumspecta sibi quasi ocultatum undique corpus habet et omni parte ab hostibus providens, ut omnino caveat, ne quo Deum offendat.

"Et civitatem Dei viventis". Acsi diceret: Vere accessistis ad montem Syon, quia estis membra Christi in unitate ęcclesie constituti. Et hoc est "et" accessistis ad "civitatem", id est ad ęcclesiam "Dei viventis", id est indeficientis, qui videlicet in se indeficiens est et ad se venientes indeficientes facit et ab omni defectu alienos, cuius ecclesiam ipsius civitatem appellat, ubi videlicet multi congregantur, a quibus iure vivitur. Est enim civitas congregatio iure viventium. Unde merito ęcclesia, que maxime iure vivit, civitas appellatur, quam etiam pre multitudine fidelium civitatem vocat. Pro uno quippe popello, quem primum habuit Deus in Judea tantum notus, nunc habet populum maximum, cum videlicet tam ex gentibus quam ex iudeis ęcclesia compacta sit. Populus enim, quem non cognovi, servivit michi.[1373] Hanc autem civitatem celestem Jerusalem vocat, quia ęcclesia, tota cuius conversatio in celis est,[1374] semper per desideria in celestibus consistit. De qua supra apostolus: Illa autem, que sursum est, Jerusalem, libera est, que est mater nostra,[1375] que ex toto spem suam in eternis constituit bonis, que sibi promissa sunt et ad que totis anhelat, desideriis omnino terrenis postpositis, que sinagoge in pro-

[1371] Psalm. 118,96 [1372] 1 Cor. 12,31 [1373] Psalm. 17,45 [1374] Philipp. 3,20 [1375] Gal. 4,26

missione tantum posita erant, iuxta illud: Hostis non transibit per nos.[1376] Item novis supervenientibus vetera proicietis.[1377] Ęcclesie vero, cuius spes in celestibus est,[1378] post luctum, post paupertatem, post pressuras quascumque, quas hic tolerat, non est promissum nisi celum. Veluti in monte, cum dixerit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum.[1379] Beati, qui nunc lugent, quoniam et ipsi consolabuntur.[1380]

Vel "celestem Jerusalem". Quia videlicet hec civitas non solum homines, sed etiam angelos capit, quoniam et ipsi[a] Christo serviunt, quem suum caput recognoscunt, cui per dilectionem coherent, in quo tam ipsi quam homines causam sue dilectionis attendunt. Angeli enim habent eum tamquam reparatorem sue nature et restauratorem per homines multo plures et longe meliores angelica natura, que cecidit, loco illius substitutos. Homines vero recognoscunt eum tamquam suum redeptorem per passionem suam et mortem, per quam remoto repagulo et sera ablata libere ad consortium angelorum sine omni dilatione cotidie ingrediuntur. Et hoc est, quod supponit "et multorum milium angelorum frequentiam", id est accessistis ad ęcclesiam, que non solum homines capit, sed et angelos, qui in dilectione[b] Christi conveniunt.

"Et ecclesiam primitivorum". Quia de angelis dixit, quos illa continet civitas, ecce de hominibus subnectit, qui in eadem cum illis uniuntur civitate. Sed homines dividit in maiores ęlectos et minores, primum de maioribus loquens, deinde de minoribus. Et hoc est "et ęcclesiam primitivorum", id est ad ęcclesiam apostolorum accessistis, qui sunt primitivi, hoc est primi inter electos primitias, ut dicit apostolus, spiritus habentes.[1381]

"Qui", videlicet apostoli, "conscripti sunt in celis", id est in libro vite.[1382] Hoc est, de quorum salute prefixum est et firmiter stabilitum in mente divina, in qua salus quorum-

---

[a] ipsi] ipi [b] dilectione] delectione

[1376] Cf. Joel 3,17 [1377] Lev. 26,10 [1378] Coloss. 1,5 [1379] Matth. 5,3 [1380] Matth. 5,5 [1381] Rom. 8,23 [1382] Cf. Philipp. 4,3

libet electorum preordinata est et fixa permanet, cuius permanentia per scriptum, quod permanens est, monstratur. Ut enim beatus asserit Gregorius,[1383] quod loquimur, transit, sed, quod scribimus, permanet. Apostolus ergo sive quoslibet electos in libro vite scriptos esse non est aliud nisi eos in mente Dei ad salutem preordinatos esset et ad vitam predestinatos, quorum predestinatio, cum semel sit ibi scripta, non amplius deleri contingit. Nullus enim, qui in tabulis illis scribitur, postea deletur, etsi psalmista dicat: Deleantur de libro viventium,[1384] quod ad usum cotidiani etiam sermonis possumus applicare. Dicimus enim invicem de re numquam habita, quia tu eam abstulisti michi, eo videlicet, quod me illam certum est habiturum, nisi me disturbares. Unde, ut supra meminimus, beatus astruit Augustinus[1385] aliquem castrum vel civitatem, quamnumquam habuit, amisisse, cum tale videlicet intervenerit impedimentum, quo non interveniente eum constaret illam procul dubio possidere. Quod ergo dicitur: Deleantur de libro viventium, cum tamen in libro vite numquam scriberentur, tale est, acsi dicatur: Deleantur, id est non ponantur in libro vite. Quod et sequentia diligenter determinant, cum et idem psalmista id exponat dicens: Et cum iustis non scribantur.[1386]

Et attende, quod hoc in libro vite, hoc est in mente divina veluti in quodam breviario, legent electi quorumcumque causas eventuum, quos modo tamquam fortuitos et quasi irrationabiles censemus, utpote, quod boni in hoc mundo deprimuntur, mali vero prosperantur, et quod bonus princeps interficitur et malus ei succedit; item, quare in hoc loco arbor ista sita est et non in illo, ubi plus utilitatis videretur afferre; et de ceteris, que nonnulli nulla ratione regi arbitrantur.

"Et iudicem omnium Deum". Hoc est accessistis ad Deum, qui iudex omnium est, qui videlicet recompensat singulis, prout ipso debet. "Et spiritum iustorum perfectorum".

[1383] *Moralium lib.* 33 c. 3 n. 7 (PL 76,672) [1384] Psalm. 68,29
[1385] Cf. notam 845 [1386] Psalm. 68,29

Ecce de minoribus electis supponit, acsi diceret: Et accessistis ad spiritum iustorum perfectorum, hoc est ad consortium spiritalium virorum, qui tamen perfecti sunt, etsi non adeo perfecti sicuti apostoli, qui primitias spiritus, ut diximus, acceperunt.

"Et testamenti novi mediatorem Jhesum", id est ad Jhesum, qui interpretatur salvator, accessistis, qui per novum testamentum, id est per obedientiam nove legis, quam attulit, mediator noster est, hoc est reconciliator ad Deum, cuius quandoque eramus inimici.

"Et sanguinis aspersionem", hoc est accessistis ad sanguinem ipsius aspersum, id est effusum propter nos, quem et cotidie in alteri potamus "meliorem", id est melius clamantem ad Deum, quam clamaverit sanguis Abel.[1387] Deum quippe ad vindictam sanguis Abel provocavit. Christi vero sanguis ad veniam et misericordiam non cessat adhuc provocare, qui cotidie Deum interpellat pro nobis.[1388]

"Videte" etc. Et quia accessistis ad Jhesum tantum legislatorem, cui non est similis, ut dicit Dominus ad Job: In legislatoribus cavete, ne eum negligatis, cuius lex longe differentior est lege Moysis.[1389] Hoc est "videte", id est attendite, "ne recusetis", id est ne contempnatis eum, videlicet "loquentem", id est predicantem nobis, qui multo differentius loquitur quam Moyses.

"Si enim". Quod id attendendum sit, a minori probat, acsi diceret: Et vere attendendum est vobis, ne recusetis, quia, si illi graviter puniti sunt, qui Moysen contempserunt, multo gravius puniendi sunt, qui tantum contempnunt doctorem. Et hoc est, quia "si illi", id est iudei, "non effugerunt", gravem videlicet vindictam, hoc est graviter puniti sunt, "recusantes", id est contempnentes, "eum", videlicet Moysem, "qui super terram loquebatur", hoc est, qui in suis promissionibus terrena tantum constituebat, ut iam supra sepius meminimus. Abrahe enim Dominus et ceteris patribus, etsi vitam promisisset ęternam, pro legis tamen obedientia non

---

1387 Gen. 4,10 1388 Cf. Rom. 8,34 1389 Cf. Job 36,22

nisi terra promissa fuit. Veluti: Si me audieritis, bona terre comedetis.[1390]

Sed hoc, inquam, est "multo magis nos" non effugiemus, subaudis, iudicium Dei, si tantum videlicet contempserimus legislatorem, hoc est: gravius puniemur, si tanto doctori, in quo Deus loquitur nobis tamquam in Filio, non obedierimus. Nos, dico, qui videlicet "advertimus", id est intelligimus eum quidem "loquentem nobis de celis", hoc est promittentem nobis celestia, non terrena, "cuius", videlicet Christi, "vox", id est predicatio, "movit terram", id est removit terrena illa sacramenta legis, que in promissione terrenorum erant posita. Unde supra: Translato enim sacerdotio necesse est etiam, ut legis translatio || fiat,[1391] cum suis vide- 182r licet observantiis. Et hoc est "tunc", id est in translatione legis.

"Nunc autem". Acsi diceret: Et non solum[a] movit terram, sed etiam alium motum "repromittit dicens: Adhuc semel" etc., hoc est non tantum terrena illa removebo sacramenta, "sed et celum", id est custodiam angelorum eis auferam. Non enim solum legales observantias removit Deus, sed et angelica custodia ab eis etiam remota est. In ipso quippe tempore dominice passionis, ut quidam astruunt, angeli, qui ad custodiam iudeorum a Deo deputati erant, cum vidissent populum illum a Domino reprobatum, ut Josephus[1392] etiam narrat, dixerunt: Transeamus ab his sedibus, acsi dicerent: Alia enim deinceps assumenda est nobis custodia. Sunt vero nonnulli, qui angelos in tempore etiam predicationis ante passionem id asserunt dixisse. De quorum custodie remotione hunc alium motum in his repromissit verbis, que in uno de minoribus prophetis reperiuntur.[1393]

"Quod autem". Inducta auctoritate prophete exponit ipse, cur dictum sit: Adhuc semel. Ideo videlicet, ut per hoc patenter doceat legis translationem. Et hoc est "quod

---

[a] solum] *inter lineas*

[1390] Is. 1,19 [1391] Hebr. 7,12 [1392] Flavius Josephus, Περὶ τοῦ Ἰουδαϊκου πολέμου, VI 5 [1393] Agg. 2,7

autem" etc. Acsi ita diceret apostolus: Sic locutus est Dominus per prophetam, quod bene ad translationem veteris testamenti ostendendam induxi, quia per hoc,[a] "quod" Dominus "dicit" ibi per prophetam: "semel adhuc" etc., "declarat", id est manifeste ostendit, "translationem mobilium", id est legis et sacramentorum ipsius et custodie etiam angelice remotionem,[b] que omnia quandoque erant movenda per doctrinam Christi, qui ad suos custodiam transtulit angelorum.

"Tamquam factorum". Monstrat, quia omnia ista movere potuit sicut ea, que ipse fecit. Et hoc est "tamquam factorum", id est tamquam operum suorum, que removere, cum voluerit, sicut et statuere in illius fuit potestate. Vel "tamquam factorum", id est facticiorum. Ea quippe dicuntur facticia, que ad tempus sunt constituta aliquando etiam mutanda. Qualis et lex fuit, que per ewangelium terminanda fuit.

"Ut maneant" etc. Declarat, inquam, translationem mobilium, "ut" ita "maneant ea, que immobilia sunt", hoc est ewangelica statuatur doctrina, que immobilis est, quia ei alia non est successura, cum et ipsa sufficiat.

Vel aliter: "Cuius vox movit terram", acsi dicatur: Ad cuius vocem, que ibi audita est, "tunc", id est in datione legis, terre motus factus est et mons Sina totus contremuit.[1394] Movit enim tunc terram Dominus, quia, cum populus ille antiquus nollet Deo ex amore cultum exhibere,[c] incussit eis timorem per signa illa, que premissa sunt. Et sic movit corda eorum, ut saltem timore, qui initium est sapientie,[1395] ei subiecti essent. Postmodum vero veniente ewangelio alium motum fecit superiorem, quia, cum illi timore coacti obedirent ut servi, ipse quidem in cordibus nostris caritatem infudit. Caritas enim, ut ait apostolus, diffusa est in cordibus nostris,[1396] ut ei videlicet per amorem serviamus tamquam filii.

[a] per hoc] *inter lineas* [b] remotionem] *inter lineas* [c] exhibere] *inter lineas*

[1394] Exod. 19,16 sqq. [1395] Psalm. 110,10; Eccli. 1,16 [1396] Rom. 5,5

"Nunc autem". Acsi diceret: Et non solum tunc movit terram, sed et "nunc" etiam alterum videlicet motum "repromittit" per prophetam "dicens" ita: "Adhuc semel" etc., id est iterum in quodam tempore[a] non solum terram, sed et celum movebo. Veluti cum in die iudicii omnia ista, tam celum videlicet quam terram quam cetera elementa in alium multo meliorem mutabit statum.

"Quod autem". Quasi dicat: Induxi testimonium prophete ad alium motum terre assignandum, in celi videlicet mutatione. Et bene, quia per hoc, "quod" videlicet "dicit" per prophetam: "semel" adhuc etc., "declarat", id est patenter docet, "mobilium translationem", hoc est terram et celum et cetera mobilia in alium statum longe differentiorem quandoque transferenda esse. Et quod iste artifex id possit facere, ostendit per hoc, quod subiungit dicens: "tamquam factorum." Acsi diceret: Et bene potest ista de statu, quem habent, in alium movere, tamquam sua opera, cum et ea etiam de nichilo fecerit. "Ut maneant" etc. Declarat, dico, "ut" ita post translationem "maneant ea, que immobilia sunt", id est perseverent in statu illo omnia ista, quem deinceps immobiliter habebunt.

"Itaque regnum". Quia videlicet vos etiam sicut et nos accessistis ad montem Sion, igitur vos et nos "suscipientes regnum immobile", id est adherentes ęcclesie, que est regnum Dei, ubi sunt sacramenta immobilia, quibus videlicet alia non succedent, "habemus", pre oculis videlicet, "gratiam", id est illam ineffabilem dilectionem nobis in morte Christi exhibitam, per quam in nobis caritas dilatatur. Caritas quippe diffusa est[b] in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis,[1397] hoc est per illum spiritalem fervorem caritatis, qui nobis in passione exhibitus est. Ut quid enim pro impiis mortuus est?[1398] Acsi aperte diceret: Hec autem causa est mortis ipsius, ut videlicet in nobis caritatem diffunderet. Ipse enim est ignis consumens, quem et

---

[a] tempore] tepore   [b] est] *inter lineas*

[1397] Rom. 5,5   [1398] Rom. 5,6

ipse venit in terram mittere. Unde ait: Ignem veni mittere in terram,[1399] id est in cordibus, quibus terra sapit et non celum, amorem dilatare. Et quid volo, nisi ut ardeat,[1400] id est nisi dilatetur. Quod utique erit in morte mea.

"Per quam", videlicet gratiam, hoc est illum summum amorem, "serviamus Deo cum metu et reverentia", id est cum casto timore, et ita "placentes". Sicut enim casta mulier, quam sua conscientia ab ira et verberibus mariti[a] tutam facit, ei ex amore servit, non ex timore flagelli, ita et nos Deo servire debemus non pro commodis nostris ut mercenarii, vel metu pene ut servi, sed amore quidem ut filii.

"Etenim Deus". Acsi diceret: Et bene dixi: Cum metu et reverentia, hoc est cum caritate, Deo videlicet, serviendum esse, quia Deus est "ignis consumens", id est caritas est, que omnem putredinem peccatorum consumit et omnem timorem foras emittit.[1401] Timor quippe sive peccatum, ut supra meminimus, cum caritate consistere nequit.

[a] mariti] *inter lineas*

[1399] Luc. 12,49 [1400] Luc. 12,49 [1401] 1 Joh. 4,18

"Caritas" etc. Dictum est in proximo, quod Deus est ignis consumens, hoc est immittit nobis ignem caritatis, que omnem consumit rubiginem peccatorum. Inde apostolus sumpta occasione invitat illos ad opera, id est ad effecta caritatis, in quibus ipsa maxime apparet. Que et sepe nomine caritatis appellamus, veluti cum dicimus: Ille fecit vel dedit michi caritatem. Et hoc est "caritas" etc., acsi dicat: Non solum affectum illum bonum habeatis in mente, sed etiam in effecta exeat. Et hoc est "caritas fraternitatis", id est effecta caritatis, que caritas frequenter appellantur et per que maxime apparet caritas, "maneant", id est perseverent in vobis recognoscendo, quia fratres omnes estis, non quia de uno patre, hoc est de Adam, descenderitis, sed secundum generationem spiritalem, que multo pretiosior debet esse in vobis, quos videlicet Deo aqua et Spiritus Sanctus regeneravit.

De operibus istis caritatis, que fiunt, queritur, an prosint.

Philosophus:[205*] Etsi vitam, inquit, non promereantur ęternam, prosunt tamen plurimum, quippe cum homo sua, imo non sua, sed pauperum, pauperibus erogat, Deus illi temporalia sepe multiplicat. Unde et ipse tanto plus Deum diligit, quanto sibi benigniorem eum experitur, in cuius etiam amorem per opera cotidiana magis ac magis accenditur.

Item de aliquibus,[206*] qui equalem habent caritatem, quorum unus habet, quid pauperibus tribuat, alius vero non habet, questio est, an equaliter remunerentur. Philosophus: In vita, inquit, ęterna equalis est corona. Sed in presenti sepe unius remunerantur opera, alterius vero non, cuius nulla sunt. Unde iste plus illo remuneratur, sed non ex debito, imo propter alios hoc fit, quia inter tales est, quos exemplo

---

205* Cf. Abaelard., *Ethica* c. 8 (PL 178,651C) **206* Cf. Abaelard., *Ethica* c. 7 (PL 178,651A sq.); *Sent. Herm.* c. 34 (PL 178,1755B sq.)**

bonorum operum provocari convenit, qui, ut a sua resisipiscant malitia, providet Deus huic etiam in temporalibus, non quod ei debeatur, sed ut illi excitentur et corrigant se et divina attendentes beneficia a sua revocentur nequitia.

"Hospitalitatem". Quomodo opera caritatis maneant in illis, per partes ostendit, et primum, ut aliis suum concedant hospitium. Nonnulli enim sunt, qui libenter sua largiuntur, sed neminem volunt hospitari. Contra quod dicit apostolus: Nolite oblivisci hospitalitatem. Perfecti enim non sunt aliqui, nisi omnia necessaria, que possunt, fidelibus provideant et inter cetera maxime hospitium, quod plurimum necessarium est. Suum quippe viaticum, hoc est cibum, quisque secum portare potest, sed hospitium nemo. Et ideo maxime ad hospitium concedendum hortatur eos dicens: "Nolite oblivisci hospitium". Acsi dicat: Et inter effecta caritatis maxime vestrum concedite hospitium, memores, quia qui viaticum suum secum portat, hospitium portare non potest.

"Per hanc enim". Et bene dixi: Nolite, quia "per hanc", scilicet hospitalitatem,[a] "placuerunt quidam" etc., id est ostensi sunt placere angelis, quos in hospitio receperunt, veluti Loth et Abraham, qui leguntur angelis sepe dedisse hospitium. Vel "per hanc", id est propter dilectionem illam, ex qua hoc opus processit, placuerunt quidam. Divina quippe scriptura, quando ita loquitur, illud quidem, quod operibus videtur ascribere, voluntati ascribendum est, que sola Deo placet, qui non, quod tribuit mulier, sed voluntatem tribuentis inspexit, cum ait: Hec, inquit, plus omnibus dedit.[1402]

"Mementote". Item hortatur eos, ut subveniant non solum venientibus ad se, sed et illis, qui venire non possunt, veluti incarceratis et vinctis, quos semper in memoria habeant. Et hoc est "mementote", acsi dicat: Non solum de hospitio cogitate, sed etiam "mementote", id est memores estote per

[a] hospitalitatem] hospitalitate

[1402] Marc. 12,43; Luc. 21,3

vestra beneficia non solum venientium ad vos, sed et "vinctorum", id est incarceratorum, qui ad vos venire non possunt. "Tamquam simul vincti", hoc est ita illis subvenite, sicuti velletis vobis subveniri, si videlicet vincti essetis. Quod enim tibi vis fieri, alii facito. Quod vero non vis, alteri ne facias. "Et laborantium", hoc est non solum vinctorum, sed etiam "laborantium", id est eorum, qui quoslibet sustinent labores, mementote "tamquam et ipsi" etc., id est tamquam eosdem ipsi sustinentes labores, ut tamquam singula cum singulis tolerantes singulorum laboribus compatiamini.

"Honorabile" etc. Quia omnia indigentibus communicari debent, ne fortasse uxor videretur communicanda esse, excipit apostolus uxorem, cuius usus sive coitus singularis esse debet. In hoc quippe nec ipsa nisi unum recognoscere debet sicut nec ipse nisi unam ad modum propositionum, de quibus Aristoteles[1402a] dicit, quia una unius est. Fructus vero mulieris communis esse debet sicuti filii, ut ait Socrates in sua Republica:[1403] Nemo, inquit, certos vel proprios inspiciat liberos, quia videlicet non debet homo sibi genuisse filios, sed patrie. Quod quidam Romanus nobilis diligenter attendens, cum haberet quendam filium, qui voluit cedere in partem Catiline, qui contra rem publicam conspiraverat et diu ei dissuasisset, ne faceret, ille autem in malo proposito immobiliter perseverans nollet adquiescere, eum lancea perforatum interfecit dicens: Absit me Catiline genuisse filios et non rei publice. Deberes enim, inquit, pro patria pugnare, non patriam infestare.[1404] Mulieris itaque fructus communis est, usus vero, hoc est coitus, singularis uni tantum communicandus.

Quod apostolus ingreditur monstrare dicens: "honorabile connubium" etc., acsi dicat: Omnia sint communia in vobis preter uxorem, que sola una unius est sicut et maritus unus unius est. Et hoc est "connubium", id est matrimonium,

---

[1402a] *De interpretatione*, 5, 17a, 15 [1403] Plato, Πολιτεία, V 9
[1404] Sallustius, *Coniuratio Catilinae*, 39,5.—Cf. Abaelard., *Dialogus inter iudaeum, philosophum et christianum* (PL 178,1653B sq.)

quod est copulatio maris et femine legitima, sit, videlicet in vobis, "honorabile".

Sed attende iuxta beatum Gregorium[1405] ad honorabile coniugium duo esse necessaria: rectam videlicet intentionem et recte intentionis rectam consecutionem vel conservationem. Recta[207*] est intentio, si illi, qui non possunt ad munditiam continentie conscendere, uxores appetunt et matrimonium contrahunt, non propter implendam voluptatem carnalem in eis, ut bestie, quibus hoc solum est in causa, sed ideo, ne Deum videlicet offendant fornicatione. De prole enim, sive sit, sive non sit, nichil refert. Quod et apostolus in causa non ponit, imo dicit: Unusquisque habeat suam propter fornicationem vitandam,[1406] videlicet non faciendam, acsi
182v diceret: Nostre incontinentie ducendo unam || queramus remedium, ne fornicando nostrum offendamus creatorem. Recta vero conservatio sive consecutio est, cum videlicet nec maritus coniugis corpore bestialiter utatur nec coniunx viri, cum neuter se alteri ad usum carnis negare possit. Cum propria enim uxore potest homo fornicari, si videlicet ea utitur pro carnis explenda voluptate, non pro vitanda fornicatione. Unde beatus Gregorius:[1407] Ardentior, inquit, in uxorem adulter est, non maritus. Item idem:[1408] Turpe est uxorem suam amare ut adulteram. Hec itaque duo hoc loco notat apostolus: rectam intentionem, cum dicat: "honorabile connubium"; rectam vero conservationem, cum subiungat: "et thorus immaculatus". Acsi aperte dicatur: Et recte matrimonium contrahatis et contracto recte coeatis, ut, quemadmodum propter Deum ducitis, ita et propter Deum carnaliter comisceamini. Omnium quippe finis ipse constituendus est.

[207*] Cf. *ad sequentia* Abaelard., *Theologia lib.* 1 c. 1 (PL 178,983D sq.); *Sent. Herm.* c. 1 (PL 178,1695C)

[1405] *Locus non inventus* [1406] 1 Cor. 7,2 [1407] Hieronymus, *Adversus Jovinianum lib.* 1 n. 49 (PL 23,293): Unde Xystus in sententiis: Adulter est in suam uxorem amator ardentior. [1408] Hieronymus, *Ibid., lib.* 1 n. 49 (PL 23,294): Nihil est foedius quam uxorem amare quasi adulteram.

"Fornicatores enim". Causam supponit, quare saltem ad hoc niti debeant, ut videlicet honorabile habeant connubium et thorum immaculatum, quia "Deus", id est supprema potestas, quam nemo potest vitare, "iudicabit", id est puniet, "fornicatores", id est quoslibet illicite coeuntes, "et adulteros", id est alterius uxoris corrumptores. Et loquitur apostolus contra illos, qui dicunt, quod numquam Deus aliquem pro coitu dampnabit mulieris, cum et hec membra homini ad hoc dederit officium. Unde si eis, inquiunt, utitur in hoc, propter quod data sunt, non offendit Deum. Hos itaque ab errore revocat dicens, quia talibus non parcet divinitas.

"Sint mores". Rursus apostolus vult eis precavere de avaritia, que in eis facile, quibus omnia ablata erant, occasionem habere poterat. Et ideo[a] de hoc vitio illis providet, quod est, ut[b] alibi dicit, ydolorum servitus.[1409] Quod enim ydolatre est ydolum in ara, idem est avaro nummus in archa, quem ipse tanquam Deum colit et inmoderate cupit. Est quippe avaritia inmoderatus superfluorum appetitus, que crescit semper crescente pecunia, quia crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. De his autem agregatoribus pecunie beatus dicit Gregorius,[1410] quia tot pauperum sunt homicide, quot possunt sustentari de eo, quod reservant supra necessaria. Hii quippe non solum necessaria congregant, sed et superflua inmoderate cumulant et, que pauperum sunt, quadam eis auferunt violentia. Ea enim, que sunt supra necessaria, debentur pauperibus. Que si quis illis largiatur, non putet etiam sua eis largiri, sed illis, que sua sunt, reddere.[1411] Quod, ut beatus astruit Jeronimus[1412] super locum illum diligenter describitur, ubi dicitur: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.[1413] Iustitia enim, inquit, quam dicit manere in seculum seculi, hoc

[a] ideo] *inter lineas* [b] est ut] *inter lineas*

[1409] Eph. 5,5 [1410] Cf. *Regulae pastoralis liber* c. 21 (PL 77,87) et Hieronymus, *Contra Pelagianos lib.* 3 n. 7 (PL 23,603). Cf. notam 425 [1411] Gregorius, *Ibid.*, c. 21 (PL 77,87) [1412] *Non in Breviario in psalmos.* Psalmus 111 (PL 26,1241) [1413] Psalm. 111,9

est in perpetua Domini memoria, appellat elemosinam, que iuste debetur pauperi, cui, si quis id, quod supra necessarium est, tribuit, existimet se ei, quod suum est, reddere, non que sunt sua, illi tribuere.

Ne ergo superflua congregent, dissuadet dicens: "Sint mores", videlicet vestri, "sine avaritia", hoc est sine immoderata cupiditate, que et superflua complectitur sicut et necessaria. Mores, dico, "contenti presentibus", id est necessariis, que et hodierna possumus recte appellare, de quibus licet nobis providere. De crastinis enim ne simus solliciti, prohibet Dominus dicens: Nolite cogitare de crastino.[1414] Non dixit: Nolite congregare, sed nec etiam cogitare, acsi diceret: Ea, que super hodierna sunt, que hic apostolus presentia vocat, nolite appetere. Ille autem presentibus est contentus, qui de eo etiam,[a] quod presenti sufficit anno, providentiam habet. Veluti Vartusienses, qui, postquam annonas collegerint, provident, quid sibi per annum sufficiat usque ad alias messes, et, quod residuum est, dividunt bene memores illius dominici, quod paulo ante posuimus: Nolite de crastino cogitare. Illi quippe tamquam sequentis anni immemores de presenti tantum cogitant. Quam etiam Christum, capud omnium, legimus de presenti die habuisse providentiam, qui et tributa reddidisse, panes quoque sive pisces et nummos etiam secum portari fecisse legitur. Cum enim Jhesus fessus ex itinere quieverit et discipuli iverint in civitatem cibum emere,[1415] constat eos, unde emerent, habere vel nummos vel valens nummos. Cum itaque capud de presentibus providerit, licet et membris de eisdem providere. Si quis vero sit etiam de superfluis sollicitus, non solum superflua, sed et necessaria ei aufert sepe Dominus.

"Ipse enim dixit". Acsi dicatur: Et merito debent esse sine avaritia contenti presentibus, de crastino nequaquam solliciti, quia videlicet ipse, qui neminem fallit, sicut et ipse

[a] etiam] *inter lineas*

[1414] Matth. 6,34 [1415] Cf. Joh. 4,8

et corpus et animam fecit, ita utrique se providere promittit. Et hoc est, quia "ipse", scilicet Deus, cui credendum est, "dixit", id est promisit dicens: "Non te deseram", in corpore videlicet, "neque derelinquam", in anima quidem. Acsi dicat: Corpori et anime necessaria providebo. "Ita ut confidenter dicamus". Tale est, acsi aperte diceret: Ipse, inquam, dixit:: Non te deseram neque derelinquam. Et hoc "ita", id est tam firmiter promittit, "ut" videlicet "confidenter", id est cum magna fiducia, "dicamus", id est confiteamur, quia videlicet "Dominus est michi adiutor", id est auxiliator non solum in necessariis, sed et in periculis crebre imminentibus. Et ita "non timebo", id est non metuam tanto munitus adiutore, "quid faciat michi homo", id est quamcumque seviant in me carnales, quia, si Deus pro nobis, quis contra nos?[1416] His autem, quibus ceteri iudei omnia abstulerant, istam proponit consolationem, ne propter rapinas vel pressuras, quas vehementes sustinent, in desperationem veniant, quia Deus nec deserit suos nec derelinquit. Non enim vidi istum derelictum nec semen eius querens panem.[1417]

"Mementote prepositorum vestrorum". Dicerent aliqui: Tu mira nobis inponis. Quis poterit tanta mandare memorie vel opere etiam complere. Ad quod apostolus: Si non habetis aliud breviarium, saltem considerate, quomodo magistri vestri vixerint, quorum vitam et conversationem sanctam imitemini. Et hoc est "mementote", id est memores estote, "prepositorum vestrorum", id est magistrorum vestrorum, qui videlicet "locuti sunt vobis verbum Dei", id est, qui vos sua instruxerunt predicatione, ut eos quidem in exemplum vivendi vobis proponatis.

"Quorum". Acsi diceret: Et non quorumlibet prepositorum vestrorum, sed eorum, "quorum" videlicet "intuentes", id est attendentes, "exitum", id est finem, quia exitus acta probat, non principium. Non enim inchoantibus, sed perseverantibus debetur corona. "Imitamini fidem conversa-

[1416] Rom. 8,31 [1417] Psalm. 36,25

tionis", id est sectamni sanctam eorum conversationem in fide fundatam, spe promotam, caritate consummatam.

"Jhesus Christus" etc. Ad hoc, quod dixerat: Non te deseram neque derelinquam, respicit istud, acsi diceret: Et vere non deseret neque derelinquet suos, quia "Jhesus Christus heri et hodie", hoc est: Quemadmodum antiquis patribus in omnibus providit necessariis, ita et vobis in hoc tempore, quod per hodie designantur, providebit, quia, si hodie vocem eius audieritis,[1418] et omnia vobis adicientur et tandem ad bravium pervenietis. "Ipse et in secula", hoc est non solum in hac vita auxiliabitur suis, sed etiam in futura non cessabit iuvare suos, ubi eos consummabit.

"Doctrinis". Item providet illis de doctrina pseudoapostolorum, qui in alienas messes se intrudebant et zizania sua superseminabant et, si non ex toto contraria, in aliquo tamen diversa a doctrina apostolorum predicabant, ita tamen dona sua pollicentes, ut quocumque modo populum seducerent. Monet ergo, ut a talibus sibi caveant, ne possint eos seducere. Et hoc est "nolite abduci", id est diligenter attendite, ne abducamini, hoc est seducamini, "doctrinis variis", id est dogmatibus pseudoapostolorum, qui non solum varia, id est in aliquo diversa a nostra doctrina predicant, sed et peregrina, id est ex toto contraria.

"Optimum enim". Dixerat, quia Jhesus est heri et hodie, qui suis necessaria providebit, id est cibum cotidianum vestro ministravit iumento, cui anima insidet, et regit, ne per cibos delicatos lasciviat caro. Cum ergo liceat de necessariis providere, ne illi cor suum in istis stabilirent, quod in supernis stabiliendum est, supponit dicens: "Optimum enim est cor stabilire in gratia", acsi dicat: Bonum est de necessariis providere, quod et apostolus non negat, cum ait: Et curam carnis ne feceritis in desideriis.[1419] Non enim dixit: Ne feceritis simpliciter, sed ne feceritis in desideriis, id est in superfluitate ciborum. Cura enim de iumento Dei, ne deficiat, habenda est. Cum, inquam, bonum sit, non utique optimum est, quia videlicet "optimum est", id est eggregium,

[1418] Psalm. 94,8 [1419] Rom. 13,14

"cor stabilire", id est habere cor stabilitum et fixum, "in gratia", id est in donis Dei, fide videlicet, spe et caritate, que omnia gratis divina nobis impertit bonitas, et "non escis", id est non in cibis, qui in adiectione debent esse et non in nostre spei intentione constitui. "Que", videlicet esce, hoc est quarum appetitus superfluus non profuit, imo nocuit "ambulantibus", id est confidentibus in illis, de quibus apostolus supra: Quorum, inquit, Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.[1420]

"Habemus altare". Quod cor escis non sit stabiliendum, ostendit dignitate et reverentia nostri altaris, de quo non licet edere, illis videlicet, qui carnis curam faciunt in desideriis. Et hoc est "habemus altare" etc. Acsi dicat: Vere non in escis cor stabiliri convenit, quod inde apparet, quia videlicet "habemus altare", id est quoddam sacrificium excellens et omnibus aliis longe differentius, de quo "non habent potestatem edere", id est, de quo illis non licet manducare, qui videlicet "deserviunt tabernaculo", id est in desiderio curam faciunt corporis tamquam servi ipsius. Quod tabernaculum appellat, quia sicut tabernaculum, mansio videlicet pastorum de loco ad locum transeuntium, que vulgo lobia dicitur, domus mobilis est stabile fundamentum non habens, ita et corpus, quod est nostre anime tabernaculum, in hac vita mobile est et transitorium. In alia vero erit domus firma, cum ex toto fuerit indissolubile. Deserviunt ergo tabernaculo, id est corpori, quicumque rationem carni supponunt, adquiescentes desideriis, que ex fragilitate carnis in animam veniunt, totas habenas motibus illicitis tradunt, ut iam amplius quasi post concupiscentias eant nec pravis carnis resistant suggestionibus. Hi autem non habent de mensa Christi edere, qui si ederint, iudicium sibi manducant et bibunt. Illi autem tabernaculo non serviunt, qui motus carnis ratione refrenant illicitos, quos in se sentiunt cotidianos. Quippe hec lucta inter carnem et spiritum in nobis relicta est ad coronam. Caro enim concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem. His ergo ad

[1420] Philipp. 3,19

altare Christi licet accedere, qui in hac pugna triumphum assequuntur.

"Quorum enim". Quod autem anima carni non debeat subiacere perversis illius resistendo titillationibus, probat per ritum veteris testamenti, ubi hoc significatur. Pontifex enim cum inferret sanguinem in sancta sanctorum, carnes illorum animalium, quorum sanguis offerebatur, extra castra[a] remanebant et cremabantur, sanguis vero inferebatur in sancta sanctorum, sed numquam nisi a carne separatus. Caro enim numquam illuc introducebatur, sed extra cremabatur. Per sanguinem igitur, qui vita est animalis et in quo liquore maxime nostra consistit vita, significatur anima, que numquam intra sancta sanctorum, hoc est in vitam ęternam introire habet nisi a carne per carnalium voluptatum repressionem separata, non utique per providentiam necessariorum dissoluta. Quod totum, ut beatus asserit Gregorius,[1421] in sacrificio turturis figuratur. Rostrum
183r quippe turturis in ipsius immolatione ad alas eius || reducendum est et ita collum interius rumpendum, ut pellis exterior integra permaneat, ut sic quidem capud nec ex toto a reliquo corpore dividatur nec ex toto cohereat. Quod totum de anima et carne intelligitur. Anima quippe, que quasi caput toti corpori presidere habet, a carne interius rumpi debet, ut ab ipsius voluptatibus, quantum potest, se retrahat. Exterius vero coherere debet, ut videlicet in necessitatibus ei provideat, sed non ad superfluitatem. Curam enim corporis ne feceritis in desideriis. Anima itaque in voluptatibus a carne segregetur, in necessitatibus vero uniatur.

Litteram autem sic iunge: Qui tabernaculo serviunt, non habent potestatem de altari illo edere, cui utique serviendum non est.

Quod etiam ex veteris testamenti apparet sacrificio, quia videlicet "quorum animalium" secundum legem imolatorum "sanguis infertur", id est introducitur, "in sancta sancto-

---

[a] castra] casta

[1421] *Homiliarum in Ezechielem.* Hom. 7 n. 10 (PL 76,845)

rum", id est in secundum tabernaculum, quod, ut supra meminimus, sancta sanctorum dicebatur, et hoc "per pontificem", qui illuc semel in anno ingrediebatur offerens sanguinem illum "pro peccato", suo videlicet et populi. "Horum", scilicet animalium, "corpora", id est carnes, non solum remanent "extra castra", sed etiam "cremantur", id est comburuntur. Cremabantur enim illa corpora extra castra, sed crematio cinerem faciebat. Cinis vero memoriam crematorum corporum intimabat, in quo docemur, ut semper in memoria illam separationem anime et corporis habeamus et ipsa semper extra castra sit, id est extra corporis voluptates per completionem, ut ita, quemadmodum caput turturis, nec omnino carni cohereat nec omnino sit divisa.

"Propter quod". Assignata separatione carnis et anime per auctoritatem veteris testamenti, eandem assignat per auctoritatem novi. Et hoc est "propter quod", id est propter quam separationem carnis et anime significandam, "et", id est etiam, "Jhesus", salvator videlicet noster, "passus est", id est crucifixus est, "extra portam", id est extra civitatem, "ut" ita "sanctificaret populum per suum sanguinem", id est per suam passionem immitteret nobis caritatem, per quam sanctificaremur.[208*]

"Exeamus igitur". Sacramento tam veteris quam novi testamenti predicta animi et corporis separatione ostensa ad rem sacramenti[a] eos invitat, ut videlicet in se figurarum compleant veritatem, que ibi significatur. Et hoc est "Exeamus igitur", acsi dicat: Et quia istud non solum in veteri testamento, sed et in novo, ubi Christus extra civitatem passus est, significatum est, igitur id compleamus. Et hoc est "igitur exeamus" etc., id est tamquam in Christo passuri extra voluptates corporis, quod est quasi castrum et civitas anime, consistamus nullatenus eis consentientes. Istud enim exire non est, nisi voluptatibus carnis resistere et spiritui, hoc est rationi, obedire. Nos, dico, "portantes improperium

---

[a] sacramenti] *inter lineas*

[208*] Cf. notam 178*

eius", id est sustinentes improperia ad exemplum ipsius, qui vorator ciborum, potator vini, amator puplicanorum[1422] dictus est. Ita et primis christianis improperabatur, acsi ita eis diceretur: Ecce miseri illi, quos Deus odit, qui eos ita permittit cruciari. Vel "portantes improperium eius", id est secularia ista contempnentes et calcantes sicut et ipse ea calcavit. Quod quasi improperium apponitur sanctis ab amatoribus mundi, a quibus contemptores pro stultis habentur, quia certe pro incertis dimittunt et visa pro numquam visis. Quis enim, inquiunt, venit de vita illa et renuntiavit vobis, vel quis ostendit vobis bona illa, vel quis umquam dixit se Deum vidisse. Hec autem et similia improperant sanctis seculares homines pro vilitate,[a] ut eos quasi a stultitia sua revocent, qui relictis presentibus ea sperant, que nec oculus vidit nec auris audivit.[1423]

"Non enim". Causam etiam, quare exeundum sit, subiungit, acsi dicat: Et bene debemus exire et non remanere, quia "non habemus hic", hoc est in hac vita, "civitatem", id est mansionem, "manentem", id est immobilem, immo transitoriam. Hec enim terra non est nobis patria, immo exilium. In exilio autem non debet homo vel congregare divitias vel edificare vel ad aliquam prelationem anhelare, sed tantum contentus esse viatico, ut de exilio ad patriam, de tabernaculo ad domum stabilem transeat. Terra quippe ista patria nostra non est, sed patria iumentorum, quorum civitas terra ista est, cuius et ipsa proprii cives sunt, que quidem habent hic cibaria et tandem tota moriuntur tam anima videlicet quam corpore. Quicumque ergo ad terrenos honores inhiat et in his temporalibus infigit animum, istorum civium concivis est tandem et corpore et anima in gehenna moriturus. De quo dicitur: Homo, cum in[b] honore esset, non intellexit.[1424] Honor quippe quandoque in homine est, quandoque homo in honore. In homine autem honor est, cum secularis prelatio servit homini, qui videlicet ea et

---

[a] pro vilitate] *inter lineas et in margine* [b] in] *inter lineas*

[1422] Matth. 11,19 [1423] 1 Cor. 2,9 [1424] Psalm. 48,13

ad sui et aliorum utitur salutem. Homo vero in honore est, quando oblitus sui honori servit et post honorem tamquam servus trahitur honoris. Tunc autem non intelligit, id est desipit, et rationem suam ex toto amittit factus quasi iumentum,[1425] quod et corpore moritur et anima.

"Sed futuram inquirimus". Hic, inquam, non habemus manentem civitatem, sed "futuram", videlicet civitatem, "inquirimus", id est per bona opera ad illam tendimus vitam, que sursum nobis proposita est.

"Per ipsum ergo", quia videlicet ad ipsum exeundum est, igitur "per ipsum", id est per gratiam ipsius, a quo omnia bona nostra, "offeramus hostiam laudis", id est laudemus Deum[a] et glorificemus ita, quod laus illa sit hostia, id est igne caritatis cremata. Sine igne enim[b] antiquus non sacrificabat populus. Ita nec novus sine igne caritatis. Et hoc "semper", id est omnibus diebus vite nostre, vel semper, id est hic et in futuro.

Hanc autem hostiam laudis exponit dicens: "id est fructum labiorum". Labia enim sicut et omnia membra debent Deo aliquem facere fructum. Ut enim rami arboris omnes ferunt poma, alioquin inutiles amputantur, ita et omne hominis membrum Deo debet fructificare, ut lingua laudes, manus opera, pes vel oculus et reliqua membra, prout[c] data sunt, quicquid nata sunt facere, ad gloriam Dei faciant, ut ita totus homo Deo serviat, sicut totus ad gloriam Dei factus est. Quod super illum locum, ubi apostolus loquitur de virgine sacranda dicens, ut sit sancta et corpore et anima, beatus Jeronimus[1426] diligenter attendens ait: Bene, inquit,

---

[a] Deum] *inter lineas* [b] enim] *inter lineas* [c] prout] *inter lineas*

[1425] Psalm. 72,23 [1426] Cf. Hieronymus, *De beata virginitate B. Mariae liber* n. 20 (PL 23,214): Virginis definitio, sanctam esse corpore et spiritu; quia nihil prosit carnem habere virginem, si mente quis nupserit.—Cf. etiam Hieronymus, *Adversus Jovinianum lib.* 1 n. 13 (PL 23,241 sq.): Statimque docet, quae sit sancta corpore et spiritu. Nonnullae quippe sunt virgines carne, non spiritu, quarum corpus integrum est, anima corrupta. Sed illa virginitas hostia Christi est, cuius nec mentem cogitatio nec carnem libido maculavit.

dicit: In corpore, non in uno membro, quia non solum mens, sed et totum corpus Deo dedicandum est, ut singula membra Deo fructificent.

"Confitentium[a] nomini Domini". Ista confessio oris non est, sed laudis, acsi dicatur: Laudantium. Unde psalmista: Confitemini Domino,[1427] id est laudate. Laudantium, dico, "nomen Domini", id est laudes Deo referentium per illam notitiam, quam de ipso habemus.

"Beneficentie". Quoniam apostolo nota erat avaritia iudeorum illis quasi naturaliter insita et maxime, quia sua sibi ablata fuerant, ideo sepe illis rememorat et remonet, ut videlicet ab erogando sua pauperibus non desistant. Et hoc est, quod repetit dicens: "beneficentie et communionis nolite oblivisci", id est perseverate in beneficiis vestris alteri communicandis, quam communicationem numquam oblivioni tradatis.

"Talibus enim". Acsi dicat: Dixi: Nolite oblivisci nec debetis, quia "talibus hostiis," id est talibus donis pro Deo impensis, "promeretur Deus", id est monstratur, quia ipsum Deum promeremur, hoc est ei placemus.

"Obedite" etc.[1428]

---

[a]Confitentium] fitentium

[1427] Psalm. 32,2; 104,1; 105,1; 106,1 [1428] Hebr. 13,17

INDEX NOMINUM ET RERUM

PUBLICATIONS IN MEDIAEVAL STUDIES

The University of Notre Dame

I. *The Works of Peter of Poitiers, Master in Theology and Chancellor of Paris* (1193-1205). By Philip S. Moore. Notre Dame, 1936. Pp. ix-218. A critical study of the works of "the most faithful pupil of Peter Lombard."

II. *Commentarius Cantabrigiensis in epistolas Pauli e schola Petri Abaelardi. By Artur Landgraf.* 1. In epistolam ad Romanos. Notre Dame, 1937. Pp. xlii-223. 2. In epistolam ad Corinthios I^{am} et II^{am} ad Galatas et ad Ephesios. Notre Dame, 1939. Pp. 224-446. 3. In epistolam ad Philippenses, ad Colossenses, I^{am} et II^{am} ad Thessalonicenses, I^{am} et II^{am} ad Timotheum, ad Titum, et ad Philemonem. Notre Dame, 1944. Pp. 447-651. Critical text and notes.

III. *Petri Pictaviensis allegoriae super tabernaculum Moysi.* By Philip S. Moore and James A. Corbett. Notre Dame, 1938. Pp. xxiii-214. Critical text and notes.

IV. *Johannis Dominici Lucula Noctis.* By Edmund Hunt. Notre Dame, 1940. Pp. xxxi-432. A XIV century collection of arguments for the humanism of the Renaissance and their refutation. Critical text and notes.

V. *Sachsenspiegel and Bible.* By Guido Kisch. Notre Dame, 1941. Pp. ix-198. Researches in the source history of the Sachsenspiegel and the influence of the Bible on mediaeval German Law.

VI. *Saint Bernward of Hildesheim:* 1. His life and times. By Francis J. Tschan. Notre Dame, 1942. Pp. vii-235. Scholarly and fascinating story of a late tenth and early eleventh century saint, bishop and artist, against the background of ecclesiastical and imperial life of the period.

VII. *Sententiae Petri Pictaviensis.* Liber 1. By Philip S. Moore and Marthe Dulong. Notre Dame, 1943. Pp. lxii-326. One of the most important source works of the twelfth century which develops and extends the *Sentences* of Peter Lombard and contributes toward the culmination of systematic theology in the *Summa theologica* of St. Thomas.

VIII. *The Summulae Logicales of Peter of Spain.* By Joseph P. Mullally. Notre Dame, 1945. Pp. civ-172. Important thirteenth century compendium, dominant text of elementary logic for 300 years.

IN PREPARATION

Petri Pictaviensis sententiarum libri quinque. Libri II-V. By Philip S. Moore and Marthe Dulong. Critical text and notes.

Stephani Langton Cantuariensis archiepiscopi questiones. By Philip S. Moore and Marthe Dulong. Critical text and notes.

Prepositini cancellarii Parisiensis summa contra hereticos. By James A. Corbett and Joseph N. Garvin. Critical text and notes.

Pseudo-Philonis antiquitatum biblicarum liber. By Guido Kisch. Critical edition, the first one to be published since 1527, based on the best manuscripts available, mainly that of Admont (11th/12th century), with introduction.